

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**In. Epistolas M. Tullii Ciceronis Qvae Familiares Vocantvr  
Paulli Manutii Commentarius**

**Manuzio, Paolo**

**Venetiis, 1579**

Argumentum ep. I. lib. V.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764133](#)



IN . EPISTOLARVM  
M . TVLLII . CICERONIS  
QVAE  
FAMILIARES  
VOCANTVR  
LIBRVM . QVINCTVM  
AD . METELLVM . ET . ALIOS  
PAVLLI . MANVTII  
COMMENTARIVS



## Argumentum ep.I. lib.V.

VERITVR Metellus Celer, qui praetor anno superiore  
fuerat Cicerone consule, & in Galliam ex praetura pro-  
consuli iuerat, Metellum Nepotem, fratrem suum, a  
Cicerone in senatu oppugnatum. Moralis est epistola,  
D. Iunio Silano, M. Licinio Murena cos.

*Q. Metellus Q. F. Celer procos. S. D.*

## *M. Tullio Ciceroni.*

**I**VALES, bene est. Existimaram. pro mutuo inter nos animo, et pro reconciliata gratia, neque me absentem luditrio laesumiri, nec Marcellum fratrem, ad dictum capite, at fortunis per te op pugnatum iri. quem si parum pudor ipsius descendat; uel familiæ debebat nostræ dignitas, uel meum studium ergo uos, remq. dub. satis sub leuare. nunc uideo illum circumuentum, me desertum a quibus minime conueniebat. itaque in luctu, et squalore sum, qui prouinciae, qui exercitu praesum, qui bellum gero. quae quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clementia administratis: non erit mirandum, si nos paenitentib[us]. Te iam mobili in me meosq. esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria a yep. abducet. Vale.

## EXPLA-



## EXPLANATIO



**METELLVS**, } qui biennio post cum L. Afranio consulatum egregie gesit, ut ex  
 ep. ad Att. liquet, in oratione etiam pro Coelio: Simul ac pedem limine extulerat, o-  
 mnes prope ciues uirtute, gloria, dignitate supererabat. Extinctum ueneno uxoris Clo-  
 diae seclere, quae P. Clodij soror erat, infra eadem oratio significat, de hoc in Bruto  
 sic: Duo Metelli, Celer, & Nepos, nihil in caussis uersati, nec sine ingenio, nec in-  
 docti, hoc erant popularē dicendi genus affecuti. **C E L E R }** cognomen hoc gens  
 Metellorum accepit, ut Plutarchus in Coriolano docet, ab eo, qui gladiatorium munus  
 patri mortuo celetrime dedit. **P R O C O S.** } proconsul Metellus post praeturā citeriori Galliae praecepsuit,  
 Silano, & Murena eos, cū praetor, ob Catilinae motus, a Cicerone cōsule in Picenum, agrumq. Gallicum,  
 qui a Piceno ad Rubiconem pertinebat missus eset. erat autē hic ager Gallicus nō Galliac citerioris, quam  
 postea Metellus rexit, sed Italiae pars, disiunctus a Gallia Rubicone flumine, Gallicus autē appellatus, quia  
 Senones eum possederant. Nec uero mirum uideatur, proconsulis nomine prouinciam rexisse, qui consula-  
 tum non gescerat. id enim usitatum fuisse supra docuimus. Plinius quoque lib. 2. cap. 67. procōsulēm appelle-  
 lat. Nepos, inquit, tradit, Q. Metello Celeri, L. Afranij in consulatu collegae, sed tum Galliac proconsuli,  
 Indos a rege Sueuorum dono datos. **R E C O N C I L I A T A**, } ostendit, si multatē inter se, & Ciceronē  
 aliquando fuisse: Cicero negat, uel nesci, uel dissimulanter. **M E T E L L U M**, Nepotem. **F R A T R E M**,  
 germanum: ut pater utriusque fuerit Q. Metellus Nepos, Balearici filius, Macedonici nepos. nam hunc Ne-  
 potem, Ciceronis inimicum, filium eius Nepotis fuisse, qui cum T. Didio consul fuit anno D C L V, Pedianus  
 ostendit in commentario Corneliana. Hic oritur quaestio. Si fratres germani, cur utriusque praenome  
 idem? Respondeatur; quia Celer, cui ei fortasse Lucio praenomen esset, tamen adoptatus a Q. Metel-  
 lo Celere, eo, qui nominatur in lib. de claris oratoribus, omisso ueteri praenomine, **Quinctus** appellatus est,  
 & cum praenomine Celeris etiam cognomen accepit, ex adoptionem consuetudine. opinor autem, post  
 hanc adoptionem natum esse fratrem eius, qui nominatur in hac epistola, quem pater suo praenomine ap-  
 pellarī uoluit. id ex eo possum suspicari, quia Celer consulatum prior gesit: ex quo patet, natu maiorem  
 fuisse. Rursus obiectat aliquis, credibile non esse, ut pater unicum filium adoptandum concesserit. sed li-  
 cit opinari, cum hic Metellus a Q. Metello Celere est adoptatus, alterum ei fuisse maiorem natu fratrem,  
 qui appellaretur **Quinctus**: quod uerisimile est: quia filius primo loco natus praenomen patris assumebat.  
 quo, post adoptionem minoris fratri, mortuo, tertius postea natus patris praenomine **Quinctus** dictus sit.  
 Fratres autem germani potius, quam patruelēs uidentur fuisse: quia, si patruelēs, unde utriusque praenomen  
**Quincto**? an a patribus? at ita credi necesse eset, duos Metelli Balearici filios, quem huius Nepotis auum  
 fuisse ostendimus, codem praenomine usus esse: quod uerisimile parum uidetur. germani igitur potius  
 idq. etiam Cicero significat in eo loco: Meus me sensus, quanta uis fraterni sit amoris, admonet. Quae uer-  
 ba maiorem, quam inter patruelēs, amore uidentur ostendere. **O B . D I C T V M**, } uide, quae Ci-  
 cero respondeat. **F A M I L I A E** dignitas, } cum intra duodecim ferme annos, ut ait Velleius lib. 2. confu-  
 les Metelli fuissent, aut censores, aut triumpharint amplius duodecim, unde illud Naevij apud Pedianum  
 Fato Metelli Romae sunt consules. Originem ducabant Celer, & Nepos ab eo L. Metello, qui primo Pun-  
 co bello triumphauit, hoc modo: Celeris, & Nepotis pater is fuit Q. Metellus Nepos, qui cum T. Didio  
 consul fuit, anno 655. auctus Q. Metellus Balearicus, consul anno 630. prognus Q. Metellus Macedoni-  
 cus, consul anno 610. abauus Q. Metellus, consul 547. auctus L. Metellus, qui de Poenis triumphauit,  
 consul anno 502. Haec ex historiæ observatione, in qua Plinius *adversarij* deprehendimus, qui Macedo-  
 nici patrem putat L. Metellum, Punico triumpho clarum: cum auum fuisse, non patrem, satis constet. Me-  
 tellus autem Caluus, Macedonici frater, qui cum Fabio Seruiano consul fuit anno 611. genuit Metellum  
 Caluum, qui consulatum gesit cum L. Cotta, anno 634. hic Q. Metellum Numidicum: Numidicus Q.  
 Metellum Pium: Pius adoptauit P. Scipionem, qui Pompejus Magni socius fuit. **P R O V I N C I A E**, } ci-  
 teriori Galliae. **B E L L U M** gero, } cum Salassis, & in alpinis gentibus, quae nondum populo Roma-  
 no parebant. & cum ijsdem pugnasse D. Brutum, cognoxitur ex ep. 4. lib. xi. **P A E N I T E B I T**, } ni-  
 mis arroganter, itaque respondit Cicero: Tibi, paenē minitanti nobis per litteras, hoc rescribo. **T A M**, } suscipio esse coniecturam: nam in omnibus antiquis libris uideō plane scriptum esse. Etiam.  
**N O N** sperabam, } in rebus, quas minime uolumus, usurpatur nonnumquam hoc uerbū, ut Virg. lib. 4.  
 Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

## Argumentum ep. 2.

**R**espondet ad Metelli querellam, de Nepote, fratre eius, oppugnato, ac  
 primum sua in eum officia commemorat, ut se amicitiae satisfecisse o-  
 stendat: deinde his officijs non mutuo Metellum respondisse significat: nec  
 uero

uero a se fratrem eius Nepotem oppugnatum, sed oppugnanti se restitisse:  
Postremo excusat, atque etiam laudat eius dolorem, suamq. intuenda amicitia constantiam pollicetur:

M. Cicero S. D: Q: Metello Q. F. Celeri procos. 2.

**S**I T V, exercitusq. ualeatis, bene est. Scribis ad me, te seximasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia numquam te a me ludibrio laesum iri. quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in senatu cum dispensarem, permulatos esse, qui remp. a me conseruatam dolerent, dixisse te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, ut ea, quae statuisses tibi in senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. quod cum dicerem, illud adiunxi: mihi tecum ita disperitum officium fuisse in rep. salute retinenda, ut ego urbem a domesticis infidis, et ab intestino scelere, tu Italiā & ab armatis hostiis, & ab occultā coniuratione defenderes: atque hanc nostram tanti & tam praeclari munera societatem a tuis propinquis labefactatam: qui, cum tu a me rebus amplissimis, atque honorificentissimis ornatus essem, timuerint, ne qua mihi pars te abs uoluntatis mutuae tribueretur. Hoc in sermone, cum a me exponeretur, quae mea exspectatio fuisset orationis tuae, quantoq. in errore uersatus essem: uisisti est oratio non iniucunda, & me diocris quidam efrisis consecutus, non in te, sed magis in errorem meum, & quod, me abs te cupisse luardari, aperte, atque ingenue confitebar. Iam, hoc non potest in te non honorifice esse dictum, me in clarissimis meis, atque amplissimis rebus tamen aliquod testimonium tuae uocis habere uoluissē. Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio: equidem hoc arbitror, cum par uoluntas accipitur, & redditur. Ego si hoc dicam, me tua causa praetermissē prouinciam, tibi ipse lenior uidear esse, meae enim rationes ita tulerunt: atque eius mei consilij maiorem in dies singulos fructum, uoluptatemq. capio. illud dico, me, ut primum in concione prouinciam deposituimus, statim, quemadmodum eam tibi tradarem, cogitare coepisse. Nihil dico de sortitione uestra: tantum te suspicari uolo, nihil in ea re per collegam meum me insciētē esse factū. Recordare cetera; quam cito senatum illo die, facta sortitione, coegerim; quam multa de te uerba fecerim; cum tu ipse milēdixisti, orationem meam non solum in te honorificam, sed etiam in collegas tuos consumeliosam fuisse. Iam illud s. c. quod eo die factū est, ea praescriptione est, ut, dum id existabit, officium meum in te obscurum esse non possit. Postea uero quam profectus es, uelut recordere, quae ego de te in senatu egerim, quae in concionibus dixerim, quas de litteras miserim. Quae cum omnia collegaris, tu ipse uelut indices, satis ne videatur his omnibus rebus tuus aduentus, cum proxime Romanū uenisti, mutuo respondisse. Quod scribis de reconciliata nostra gratia: non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quae nūquā inmutata es. Quod scribis, non opportuisse Metellum, fratrem tuum, ob dictum a me oppugnari: primum, hoc uelut existimes, animum mihi iſum tuum uebementer probari, & fraternal plenam humanitatis, ac pietatis uoluntatem: deinde, si qua ego in

refratri tuo reip. cauſa restiterim; peto, ut mibi ignoscas. tam enim sum amicus rep. quam qui maxime. si uero meā salutem contra illius imperium in me crudelissimum defendem: satis habeas, nihil me etiam tecum detui fratris iniuria conqueri. quem ego cum comperissim omnem sui tribunatus conatum in meā perniciem parare, atque meditari; egī eum Claudia, uxore tua, & cum uestra sorore Mucia, cuius erga me studium, pro Cn. Pompej necessitudine, multis in rebus perspexeram, ut eum ab illa iniuria deterrenterent. Atque ille, quod te audisse credo, pridie Kal. Ian. qua iniuria nemo umquam in aliquo magistratu improbissimus ciuiis affectus est, ea me consulem affectit, cum rerep. conservasssem; atque abeuntem magistratu concionis habendae potestate priuauit. cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. nam, cum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret; magna uoce iurauit uerissimum, pulcherrimumq. insurandum: quod populus item magna uoce, me uere iurasse, iurauit. Hac accepta tam insigni iniuria, tamen illo ipso die misi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut ab illa mente desisteret. quibus ille respondit; sibi non esse integrum. etenim paullo ante in concione dixerat, ei, qui in alios animaduertisset indicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. hominem grauem, & ciuem egregium; qui, qua poena senatus, consensu bonorum omnium, eos affecterat, qui urbem incendere, magistratus, ac senatum trucidare, bellum maximum constare uoluissent, eadem dignum indicaret eum, qui curianz caede, urbem incendis, Italiam bello liberasset. itaque ego Metello fratri tuo praeſenti refliti. nam in senatu Kal. Ian. sic cum eo de rep. disputauit, ut sentiret sibi cum uiro forti & constanti esse prægnandum. Ad 111. non. Ian. cum agere coepisset. tertio quoque uerbo orationis sua me appellabat, mihi minabatur: neque illi quidquam deliberatus fuit, quam me, quamcumque ratione posset, non iudicio, neque disceptatione, sed ui, atque impressione euertere. huius ego temeritatissimi uirtute, atque animo non restituisse, quis eset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortē fuisse? Haec si Metellum cogitare de me nescisi: debes existimare, te maximis de rebus a fratre esse celatum. si aliquid impertuit tibi sui consilij: lenis a te, & facilis existimari debo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. et si intelligis, non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio eius, animoq. in me inimicissimo esse commotum. Cognoscē nunc humanitatem meam: si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria remissio animi, ac dissolutio. Nulla est a me umquam sententia dicta in fratrem tuum. quotiescumque aliquid est actum, sedens ijs assensi, qui mihi lenissime sentire uisi sunt. addam illud etiam: quod iam ego curare non debui, sed tamen fieri non molesti tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiunxi; ut s. c. mens inimicus, quia tuus frater erat, subleuaretur. Quare non ego oppugnauis fratrem tuum, sed fratri tuo repugnauis; nec in te, ut scribis, animo sui A a mobili,

mobilis, sed ita stabili, ut in mea erga te uoluntate, etiam desertus ab officijs tuis, permanerem. Atque hoc ipso tempore tibi, paene minitanti nobis per litteras, hoc rescribo, atque respondeo. Ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo. mens enim me sensus, quanta uis fraternalis sit amoris, admonet. ate peto, ut tu quoque aequum te iudicem dolori meo praebreas; si acerbe, si crudeliter, si sine causa sum a tuis op-

pugnatus, ut statuas mihi non modo non cedendum, sed etiam tu, atque exercitus tui auxilio in eiusmodi causa utendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse uoluimus; me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laborauim. ma ne in uoluntate, & quod uoles tu, permanebo: atiusq. amore tui fratrem tuum odisse desinam, quam ilius odio quidquam de nostra benevolentia detraheretur. Vale.

## EXPLANATIO

**C**ONSERVATAM} in consulatu, anno superiore, oppressa coniuratione Catilinae. PROPINQUOS tuos, } in primis Metellum Nepotem, Celeris fratrem, Ciceronis inimicum, ut infra patet. DOMESTICIS} quas maxime Lentulus, & Cethegus, egresso iam Catilina, in urbe comparabant. ARMATIS hostibus, } Catilina, & Manlio. Sallustius, Ciceronis orationes, alij. OCCVLTAS} ne qua per Italianam, cum aliquo reip. damno, erumperet coniuratio. TANTO, & tam praeclari munera} modus amplificandi. coniungitur enim cum magnitudine laus: cum interdum posit esse alterum sine altero. sic pro lege Manilia: De quo homine uos tanta, & tam praeclara iudicia fecistis? Pro Milone: In hoc tanto, & tam praeclaro naturae motu. In Antonium oratione v. Habeat huius tanti facti, tamq. praeclari decreto nostro testimoniam sempiternum. In eundem vi. Hoc uestro iudicio tanto, tamq. praeclaro excitatus. In eundem vii. Hunc tantum, tamq. praeclarum apparatum. Et lib. de leg. iii. Tam praeclara legis uocelaudatus. Eiusdem generis illud in Verrem lib. vi. Incredibile est, quam multa, & quam praeclara fuerint. Et pro Milone: Quantae, quoties occasionses, quam praeclarae fuerint. Iam non uereor, cum haec tam multa ex ipso Cicerone loca recitauerim, ne mihi posthac petulans, & insula Grammaticorum turba litem intendant, quod aliquando scripserim. Tanti, ac tam praeclari munera initium unde sumi aptius potuit. abundare enim, Tam, arbitrabantur; quoniam, Prae, in compositione augeret: ignari, quam libera interdum, soluta artis Grammaticae uinculis, excurreret Latina lingua: quod & nos per otium nonnumquam conferentes intelleximus; & intelliget, quicumque conferendi curam suscepit. Nec uero deerant alia eiusdem Ciceronis exempla, ut in Verrem bis praeterea in codem libro, in Rullum, in Catilinam, pro Flacco, oratione v. in Antonium, & in libro de claris oratoribus. A. TVIS propinquos} iterum propinquos nominat: quod est, iterum Metello inconstantiam obijcere, quem a grati animi significatione propinquorum iniquitas abduxerit. HONORIFICENTISSIMIS} quid n. honorificentius, quam Italianam tibi ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defendendam tradere. A P E R T E confitebar. } cum ambitionis confessio risum moueret. PAS uoluntas} aculeus in Metellum: quasi, rebus amplissimis, atque honorificentissimis a Cicerone ornatus, parem uoluntatem non rediderit. PROVINCIAM, } cum ex consulatu in Galliam ire posset, maluit in urbe remanere. quod ipsum ep. 4.lib.xv. scripsit ad Catonem his uerbis: Prouinciam ornata, & spem non dubiam triumphi neglexi. Et ad Att. ep. 1.lib.2. ait se, cum prouinciam in concione depositu, orationem habuisse. In oratione autem in Pisonem: Ego prouinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu, & pecunia instram, & ornata, quam cum Antonio communicaui, quod ita existimabam tempora reip. ferre, communicaui. Et Phil. 11. Imitare me, qui instructam, ornatamq. a senatu prouinciam depositui, ut incendium patriae, omissa omni cogitatione, extinguerem. Atque hanc ipsam Galliam a Metello administra tam, Plinij iam testimonio probauimus, & Sallustius etiam, ac Dio lib. XXXVII. ostendit. SORTITIO NE} uel sortitiebantur prouincias inter se, uel comparabant, id est pactio, quam quisque uellet, capiebant. ep. 9.lib.1. VESTRA:} inter se, & collegas tuos facta. COLLEGAM meum} C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu. Opinor, cum Galliam Antonio Cicero tradidisset, id quod ex oratione in Pisonem demonstrauimus, & Sallustius narrat, cum dedisse operam, ut omnino Metellus Galliam sortiretur, arte fortasse aliqua ad curandum sortis euentum adhibita: cum ipsi gratior esset Macedoniae administratio, quā hoc anno suscepit: ut ex ep. 10.lib.1. ad Att. intelligitur. FACTA fortitione, } in qua tibi obuenierat Gallia. COLLEGAS tuos} praetores. nam in magistratu prouincias sortiebantur. EA praecriptione est, } quid hac praecriptione significetur, communis intelligentia fortasse non assequitur: quod exponere conabimur. Duplex erat in S. C. praecriptio, necessitatis una, honoris altera: necessitatis, quod infirmum erat S. C. cum in decernendo certus, ac lege definitus senatorum numerus non affuisset: itaque singulis S. C. ut ualerent, praescribebatur, quo senatores affuissent. de quo Festi uerba recitabo: Numerus senatorum, ait qui uis senator consuli, cum impedimento uult esse, quo minus faciat S. C. postulatq. ut aut res, quae afferuntur, diuidantur; aut singuli consulantur; aut, si tot non sint senatores, quo numero licet praescribi S. C. Tulit etiam legem C. Cornelius tribunus pl. quem Cicero defendit, non ille quidem de omnibus S. C. sed de ijs, quibus aliquem solui legibus placet, ut ita rata esent, si ducenti senatores affuissent. Quod Festi locus, eti non plane, tamen quodam modo confirmat. Altera, quae auctoritatem S. C. adderet, praecriptio erat, cum nobilissimi senatores scribendo aderant. qui certus numerus non erat, sed pro eius dignitate, & gratia, cuius de honore in S. C. ageretur. quo de genere praescriptionis hic puto significari: & illud infra. Obscurum esse non poscit, sic interpretor, ob eorum claritatem, qui scribendo

scribendo affuerunt. Et in eo S. C. quod Coelius Ciceroni misit, ep. ro. lib. ix. legendum opinor, S. C. quod tibi misi, factum est, auctoritatesq. praescriptae: non perscriptae, nam senorum nomina, qui affuerint scribendo, S. C. auctoritates dicebantur, & ante S. C. scribebantur, de quo etiam more loquitur in ep. ad Catonem 6. lib. xv. cum inquit: Haec S. C. non ignoror ab amicissimis eius, de cuius honore agitur, scribi solere. non quod iij scriberent, sed quod scribendo adessent, & fortasse etiam dictarent. Sic in Agraria 2. Collegas suos, adscriptores legis agratiae, non repudiabat; a quibus ei locus primus iniudiae in praescriptione concessus est. Et lib. iii. de Or. legitur in antiquo Borromei libro, In auctoritatibus praescriptis exstant, ubi est in perulgatis, Perscriptis. PRO FECTVS es, post sortitionem profectus est Metellus praetor non in Galliam, quam post praetoram administrandam sortitus erat, sed in Picenum, in quo permanisse usque ad illud tempus, cum Catilina uictus est, e Sallustio cognoscitur. Catilina superato, Galliam prouinciam accepit. PROXIME post necem Catilinae uidetur Metellus, antequam in Galliam iret, Romam renertisse. PARARE, nam extremo anno consulatus Ciceronis, id est iv. idus Decembris, ut mos erat, magistratum initurus erat Metellus Nepos tribunus pl. designatus. CLAUDIA, impudica muliere, P. Clodij sorore, de qua in oratione pro Coelio, & ep. i. lib. 2. ad Att. Plutarchus in Cicerone Quadrantiam uocatam scribit, a quadrantibus in eius loculos ab amatore coniectis. V X O R E tua, quo modo uxor fuerit Celeris, cum eius fratrem P. Clodium fratrem patruellem Celeris nominet Cicerio in oratione pro Coelio? an eadem & soror, & coniux? sic opinor: ut Clodius, & Claudia filii fuerint Caeciliae, sororis eius Metelli, qui Celerem, et Nepotem genuit. VESTRA sorore Mucia, uxore Cn. Pompeij, ut ex Pediano, Plutarcho, Dione, ad Att. ep. ro. lib. i. planum fit. soror autem fuit auorum Metellorum, Celeris, & Nepotis; uel quod eius mater, patris soror esset; uel quod Celeris, & Metelli mater, Muciae gentis, idest soror esset patris huius Muciae. Sic enim feminae sorores dicuntur, licet germane non sint, ut mares saepe fratres appellantur, cum sint patruelles, aut consobrini. Potuit etiam soror esse ueterina, Celeris, & Nepotis, hoc modo, ut eorum mater, uiro mortuo, Q. Metello Nepte, nupserit Q. Scæuola, ex quo postea Muciam hanc peperit. eam & Dio lib. xxvii. sororem uocat Metelli Celeris. cum hac postea, stupratam a C. Caesare suspicatus, post duos suscepitos filios, diuorium Pompeius fecit. ep. ro. lib. i. ad Att. Pedianus, Suetonius, Plutarchus, Dio. DETERRENT. remouerent, non minis, aut inieicto metu, sed rationibus, & precibus. interdum enim, Deterre, & Cohortari, ut contraria oppontintur. lib. i. de orat. Vereor, ne maiorem uim ad deterendum habuerit, quam ad cohortandum. Exempla non desunt. Q u o d te audisse credo, patet sententia: nec discrepant mei veteres libri, quibus in omnibus plane legitur, Credo. At in uno Mediceo libro est, Certo, non, Credo, ex quo alijs orta de mendo conjectura, mihi uerisimile non sit reliquos omnes libros ab uno illo esse de scriptos: cum & ab illo, & saepe inter se dissentiant. nec uero librum illum tam antiquum esse arbitror, qui omni prorsus uacet mendo: quippe cum ne illa quidem interdum, quae a nobis cogitata ipsi nostra manus scribimus, emendata satis esse videamus. IN ALIQUO magistratu, neminimo quidem. sic in meis antiquis libris. nec sane video, cur quidquam mutetur, aut, si mutandum, placeret, Minimo magistratu: ut legebat Vbaldinus Bandinellus: cum sit in Mediceo libro, In animo magistratu. sic opponerentur, Consul, &, Minimo magistratu. PRIDIĒ Kal. Ian. ultimo consulatus die. CONCIONIS habendae de rebus in consulatu actis: ut more comparatum erat. PRIVAVIT. pro potestate tribunicia. VT iurarem, consules, commemoratis rebus in consulatu gestis, iurare soliti sunt, omnia se consilia, atque facta ad reip. dignitatem, commodumq. retulisse. quod Ciceroni Metellus permisit: reliqua commemorare uetus. VERRISSIMUM, pulcherrimumq. insurandum: hoc, remp. a se uno conseruatam. de quo sic in oratione pro domo: Reip. semper interesse putauit, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate senatus, consensi bonorum omnium, pro salute patriae gesuisse, splendore in uerbis, dignitatemq. retinere; praesertim cum mihi unius in hac rep. audiente populo Romano opera mea hanc urbem, & hanc remp. esse saluam iurato dicere fas fuisset. Et in Pisonem: Ego, cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno pl. prohiberer, quae constitueram; cumq. is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret; sine ulla dubitatione iurauit, remp. atque hanc urbem mea unius opera esse saluam. Idem confirmat Dio lib. xxxxi. Plutarchus autem, prohibitum Ciceronē a duobus tribunis, Metello, & Bestia, prodidit falso: nam Bestia non eodem anno cum Metello tribunatum gesit: Bestia Cicerone consule, quod Sallustius ostendit, Metellus anno sequenti. quod uel hic locus declarat. nam tribuni pl. magistratum inibant i. v. idus Dec. itaque non eum concione priuare potuit Bestia. extremo consulatus die, idest Kalendis Ianuarij, cum iii. idus Dec. tribunatu abiijset: sed id a Metello factum, qui tribunatum, ante quam Cicero consulatum absoluisset, inierat. POPVLVS confirmatum a populo Ciceronis iurandum, & oratio in Pisonem loco proxime recitato, & Plutarchus in Ciceronis uita demonstrat. INDICTA cauſa, significabat, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium conscientes, & participes coniurationis Catilinae, indicta cauſa, contra leges, moremq. maiorum, esse condemnatos. animaduertisse autem in eos Ciceronem dicit, quod, eo iubente, in carcere strangulati sunt: ut Sallustius, Plutarchus, Dio scriptum reliquere. Appianus hoc addit, Ciceronem eos necari in conspectu suo iussisse, quod falsum est. HOMINEM grauem, cum ironia, ut Tusc. 2. Hominem exercitatum. quis tot uerba tanto in luctu continuat? Phil. 13. Turpem uero actionem, qua defenditur amplissimi auctoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amenantiam. Ad Q. fr. ep. 4. lib. iii. Lepidum amicum Sallustium, qui mihi aut imimicicias putet periculosos subendas fuisse, aut infamiam sempiternam. AGE RE in scena. NON iudicio, neque disceptatione,

A 2 cadem

cadem coniunxit lib. iv. de rep. Iudiciis enim, ac magistratum disceptationibus legitimis propositam uitam, non poecatarum ingenij, habere debemus. **I M P R E S S I O N E }** Impressionem facere, quo loquendi genere Varro, Hirtius, Liuius usi sunt, est, cum impetu irruere. **R E S T I T I S S E M ; }** acer-  
rime disputando. scripsit etiam contra Metelli concessionem: ut est in ep. 9. lib. 1. ad Att. & in Gellio lib. xix.  
cap. 7. **C A S U }** sic ep. 17. ad Att. lib. 1. Reliqua sic a me aguntur, & agentur, ut non committamus,  
ut ea, quae gessimus, fortuito gessisse videamur. Et Phil. v. Quis est, qui hunc non casu existimet recte  
fecisse? Laus enim a consilio pendet, non a casu, itaque Cicero, cum ea commemorat, quae pro salute reip.  
in opprimenda Catilinae coniuratione gesserat, easum a se reicit, consilium assumit. Ego committam,  
inquit in oratione pro Sulla, ut ea, quae pro salute communis gessi, casu magis, & felicitate a me, quam  
uirtute, & consilio gesta esse videantur? Et in Catilina 3. Curemque ea uirtute, non casu, gesta esse ui-  
deantur. In epistola quoque ad Curium, lib. vii. Consilio casum quasi opponit, & ex casu felicitatem de-  
ductit. Sapienter haec, eit, reliquisti: feliciter, si casu. Propterea dixit etiam in oratione pro Sulla: Casu  
magis, & felicitate: quia possit ex casu felicitas nasci, nullo nostro merito. **C E L A T U M ; }** uel pecca-  
uit Nepos, si te celauit: uel tu, si celatus non es, inique facis, qui me accuses, quem oppugnat non igno-  
ras. **D I S S O L V T I O ; }** Dissolutus est, qui fert ea, quae non debet; aut indulget plus, quam opor-  
teat. in ep. ad M. Brutum: Neque dissolutum a te quidquam homines exspectant, nec crudele. Et lib. iii.  
Off. Negligere quid de se quisque dicat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. **S E D E N S ; }**  
assensio enim paucis uerbis absoluitur. stantes autem sententiam pluribus uerbis dicebant. **L E N I S S I-  
M B ; }** cum alii grauiissime sentirent: quibus non assensi. **S E N T I R E ; }** cum ageretur in senatu de  
Nepote tribuno pl. puniendo, quia leges iniquissimas aduersus collegarum intercessionem ferret: cui  
Caesar praeator cum opem ferret, utrumque decreto patrum administratione reip. summorum, Suetonius  
narrat. propterea scripsit Metellus Celer, Fratrem meum capite, ac fortunis per te oppugnatum iri.  
**C V R A R E non debui;** quis enim curat, ut subleuetur inimicus? **S V B L E V A R E T V R ; }** opinor alte-  
rum significari decretum, quo Metello, & Caesari senatus ignouit, iuncto priore decreto. Suetonius.  
**D E S E R T V S ab officijs tuis;** supra dixit: Velim, iudices, satis ne uideatur his omnibus rebus, cum  
proxime Roman uenisti, mutuo respondisse. **A E Q V V M te iudicem preebeas;** quod impulsus dolore  
ita cum fratre tuo de rep. disputauit, ut sentiret sibi cum viro forti, & constanti, esse pugnandum. sic locu-  
tus in ep. 1. lib. 2. **E X E R C I T V S;** tres cum legiones habuisse, cum in Piceno praeficeret, ait Sal-  
lustius: nec fuisse pauciores, cum Galliam proconsul regeret, consentaneum est. **V T E N D V M ; }** pla-  
cet, pro mea tamen consuetudine lectorum admoneo, in antiquis duodecim libris esse, Tuendum, non,  
Vtendum. **Q u o a d uoles tu;** humanitatem ostendit, habita ratione grauitatis, nam inuitum  
amare dementiae est.

### Argumentum ep. 3.

**L**ibri ueteres hanc epistolam Nepotis nomine inscribunt: quod si credimus; ex Hispania missam, cui post consulatum Nepos praefuit, simul credere necesse est. Sribit haec: a se fratrem suum, assidue Ciceroni obtre-  
ct antem, despici; Ciceronem autem, qui suam in eum benevolentiam officijs declararet, fratris loco diligi: de prouinciae rationibus ad Lollium se litteras dedisse. Amoris conseruationem petit in extremo. Moralis epistola: qui  
bus consulibus, incertum: cum Nepos Hispaniae triennium praefuerit; ut  
ex Pediano in commentario orationis pro Scauro colligitur.

**Q . Metellus Nepos S . D . Ciceroni:** 3.

**H**OMINIS importunissimi contumeliae, quibus  
me crebris concessionibus onerat, tuis erga me officijs  
leniuntur; et, ut sunt leues huinsmodi homines, a me de-  
spiciuntur: libenterque, commutata persona, te mibifra  
tris loco esse duco. de illo ne meminisse quidem uolo: ta-  
mēsi bis eum inuitum seruauit. de me, meisq. rebus, ne

uobis multitudine litterarum molestior esset, ad Lol-  
lium per scripti: de rationibus etiam prouinciae quid  
uellem fieri, ut is uos doceret, & commonefaceret. Si po-  
teris, uelim pristinam tuam erga me uoluntatem con-  
serues. Vale.

EXPLA-

## EXPLANATIO

**I**MPORTUNISSIMI<sup>3</sup> P. Clodij, qui Nepotis frater appellatur & in ep. 3. lib. iv. ad Att. fratres latem fuerē, uel consobrini, uel quod Clodij mater, patris Nepotis soror fuerit. **C**ONTUME-LIAE<sup>3</sup> in Ciceronem. **C**ONCIONIBVS<sup>3</sup> ita longis, itaq. acerbis litteris, ut concionari uideatur. **O**NERAT<sup>3</sup> mihi molestus est. **L**ENIVNTVR<sup>3</sup> earum acerbitate non moueοr, quae minuitur, ac tollitur officijs tuis. **E**IVSMODI homines<sup>3</sup> sic mei ueteres libri. unus, Hominis. ut sit; Eiusmodi hominis quia leues contumeliae sunt, a me despiciuntur. ita opponentur, Onerat, & Leues. si, Homines legatur, potest esse eadem sententia, hoc modo: quia sunt leues eiusmodi homines, a me despiciuntur eorum contumeliae. potest etiam sic: despiciuntur a me, tamquam leues, eiusmodi homines. Mediceus liber, Ab ciusmodi homine: sententia eadem, quae elicitur ex, Eiusmodi hominis. **C**OMMUTATA persona<sup>3</sup> translatio ab histrionibus, qui, commutata persona, diuersas agunt partes. **I**NVITVM<sup>3</sup> nemo seruatur inuitus. sed, qui palam peccat, nec paene metu flagitijs abstinet, is cum impunitatem adipiscitur, seruari uidetur inuitus. Clodij autem cunctis paene sceleribus inquinatam uitam quis ignorat? **P**ROVINCIÆ<sup>3</sup> dixi iam praeceps Nepotem Hispaniae, dixi autem auctoribus Apiano lib. 2. bell. ci. Plutarcho in Caesare, Dion lib. xxxix. **S**I. **P**OTERIS<sup>3</sup> nolim te fratribus iniuriae ita commoueant, ut propterea de tua in me uoluntate quidquam detrahatur.

## Argumentum ep. 4.

**E**X sul opem implorat consulis Nepotis: seq. non immemorem beneficij futurum confirmat. **P**. Lentulo Spinthere, **Q**. Metello Nepote cos.

**C**icero S. D. Metello Nepoticos. 4.

**L**ITTERAE Quinti fratri, & T. Pomponij, necessarij mei, tantum mihi spei dederant, ut in te non minus auxilij, quam in tuo collegi, mihi constitutum fuerit. itaque ad te litteras statim misi; per quas, ut fortuna postulabat, & gratias tibi egī, & dereliquo tempore auxilium peti. postea mihi non tam meorum litterae, quam sermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant; quae ressegit, ut tibi litteris obstrepere non auderem. nunc mihi Quintus, frater meus, mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, per scriptis; qua inductus, ad te scribere sum coactus: & abs te, quantum tua fert uoluntas, peto, quae soque, ut tuos mecum serues potius, quam propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. tu, tuas inimicitias ut reip. donares, te uicisti: alienis ut contraremp. confimes, adduceris? quod si mihi tua clemetia opem tuleris: omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo. sin mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari propter eam nim, quae me cum rep. uicit, licuerit: uide, ne, cum uelis reuocare tempus omnium conseruandorum, cum, qui seruetur, non erit, non possis. Vale.

## EXPLANATIO

**C**OLLEGA,<sup>3</sup> P. Lentulo consule, Ciceronis redditū enixe curante: ut ex ep. & orationibus constat. **M**ITISSIMAM<sup>3</sup> quae mihi, antea diffidenti, spem attulit auxilij tui. fortasse oratio illa significatur, quam habuit primo consulatus die, referente de redditu Ciceronis collega eius P. Lentulo. uide pro Sextio. **S**V M coactus<sup>3</sup> malo, Sum conatus, ut est in quattuor antiquis libris: nam, Coactus, cum proxime dictum sit, Inductus, sententia non desiderat. Conatus autem significat, non inuitum, Ciceronem scripsisse, inductum eius oratione mitissima. **T**V RVM<sup>3</sup> Clodiorum, cum esset frater P. Clodij. **T**V A S inimicitias<sup>3</sup> fortasse quas cum C. Curione, qui de Dardanis triumphauit, acerbissimas gesserat. uide Pedianum in commemorio Corneliana. **M**A G I S T R AT V M<sup>3</sup> consulem P. Lentulum, qui cum primo consulatus die de reuocando Cicerone retulisset, confecta res non est, noctem sibi ad deliberandum postulante Sex. Atilio Serrano tribuno pl. quē Gauarium appellat in oratione pro Sextio. **C**ONSERVANDORVM<sup>3</sup> sic in uno tantum ueteri libro: cui potius aſtentior, quam reliquis omnibus, in quibus est, Refeuandorum. aut, Refeuandorum, dixit, habita ratione temporis omisi: quaf, iterum feuandorum: quos antea non seruaueris, cum posses. **N**O N erit,<sup>3</sup> exitium a P. Cladio impendere uniuersae reip. dicit: siquidem plus posſit unus, quam consul, senatus, populus.

Argu-



## Argumentum ep. 5.

**O**MNIA BENEVOLI ANIMI SIGNA IN C. ANTONIUM A SE ESSE PROFECTA, NULLAM AB  
ILLO RELATAM GRATIAM, OSTENDIT: QUOD SIGRATUM COGNOWERIT, SE NON ESSE  
EI DEFUTURUM. COMMENDAT IN EXTREMO ATTICUM. EST AUTEM HIC ANTONIUS,  
QUI COLLEGA CICERONIS FUERAT IN CONSULATU, FILIUS M. ANTONIJ, SUMMI ORATO-  
RIS, PATRUUS M. ANTONIJ, QUI POSTEA REMP. OPPRESSET MACEDONIAM HOC TEM-  
PORE PROCONSUL ADMINISTRABAT. SILANO, ET MURENA COS.

Cicero S. D. C. Antonio M. F. imp. 5.

**E**T si flatueram nullas ad te litteras mittere, nisi commendaticias; non quod eas intelligerem satis apud te valere; sed ne ipsis, qui me rogarent, aliquid de nostra coniunctione immunitum esse ostenderem: tamen, cum T. Pomponius, homo omnium meorum in testidorum, & officiorum maxime conscientis, tui cupidus, nostri amantissimus, ad te proficiseretur; aliquid mihi scribendum putavi, praesertim cum aliter ipso Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemini uideri debeat. omnia enim a me in te profecta sunt, quae ad tuum commodum, quae ad honorem, quae ad dignitatem pertinenter. pro his rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis. contra etiam esse aliquid abs te profectum, ex multis audiui: nam, comperisse me, non audeo dicere; ne forte id ipsum uerbum ponam, quod abs te aiunt falso in me solere conferri. sed ea, quae ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui non minus molesta fuerunt, quam ex meis litteris, cognoscere. mens in te animus quam singulari officio fuerit, & senatus, & populus R. testis est; tu, quam gratus erga me fueris, ipse existimare potes; quantum mihi debeas, ceteri existimant. ego, quae tua causa ante feci, uoluntate sum adductus, posteaq. constantia: sed reliqua, mihi crede, multo maius meum studium, maioremq. grauitatem, & laborem desiderant: quae ego si non profundere, ac perdere uidebor, omnibus meis uribus sustinebo: sin ingrata esse sentiam; non committam, ut tibi ipse insanire uidear. ea, quae sint, & cuiusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere. Atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut, quamquam ipsius causa confido te facturum esse omnia, tamen abste hoc petam, ut, si quid residet in te amoris erga me, id omne in Pomponij negotio ostendas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

## **E X P L A N A T I O**

I M p. 3 fortasse rem militarem feliciter gesserat , cum haec epistola scripta est : postea vero male pugnauit . nam triennio post , Caesare , & Bibulo cos. idem damnatus est , quod in Thracia , & Mysia parum prospere rem gessisset . epitome Liuiana , Dio , Obsequens . N I S I commendaticias ; } non igitur hae sunt commendaticiae , licet Atticus commendetur . argumentum enim hoc uideratur , ut ei Cicero , Attico rogante , suum studium in accusationis , quae parabatur , periculo deferret . quam partem non ante aggref-  
sus est , quam ei , commemoratis officijs suis , ingrati animi uitium exprobrait . I P S I Pomponio } qui Ciceronis animum , non nihil ab Antonio abalienatum , reconciliari cupiebat . O F F I C I A desiderem , } infra subiunxit , Nullam mihi abs te relatam esse gratiam , tu es optimus testis . Et in ep. sequenti : Eius in me officia omnes desiderant . A . M B in te prosecta , } defenderat iam eum Cicero in senatu , cum de reuocando ex Macedonia ageretur . quod ex epistola sequenti cognoscitur . F A L S O . I N . M E sole-  
conferri . } cum dicas , conpperisse te , me tibi amicum non fuisse . quod falso a te dicitur . D E L A T A } de querellis tuis . Libentius enim ad querellas Antonij refero , quam ad id , quod legitur ep. 10. lib. 1. ad Att. de parte pecuniarum , quae contra leges ab Antonio in prouincia cogerentur , Ciceroni danda . C O N S T A N T I A : } et si non deberem , cum te non esse in me gratum audirem ; feci tamen , ne inconstans in amicitia uiderer . ep. 8. Quae a me suscepta defensio est , te absente , dignitatis tuae , in ea iam ego non solum amicitiae nostrae , sed etiam constantiae meae causla permaneo . R E L I Q V A , } fore putabat , ut de repetundis accusaretur . quod ex ep. 10. lib. 1. ad Att. fatis constat . fit enim in co mentio & de coactis ab Antonio pecunijs , & de praetore ad populum acturo . quamquam non nisi triennio post , Caesare , & Bi-  
bulo cos. accusatus est , ut Suetonius , & oratio pro domo demonstrat . quo tempore , Cicerone defendente , damnatum esse , ex oratione pro Coelio , & ex Dione cognoscitur . damnatum autem de maiestate , ac-  
cusante Coelio , & Dio , & proxime nominata oratio uidetur significare : de repetundis etiam , ostendit lo-  
cus illus in ep. 10. lib. 1. ad Att. Antonium in cogendis pecunijs dictitare , partem mihi quaeri . Quod altero  
confirmatur argumento , quia damnatum accusante Q. Maximo plane demonstrat oratio in Vatinium , ut  
de maiestate a Coelio , de repetundis a Maximo accusatus , ex utroque crimine damnatus sit . nam & duos  
quaesitores , Q. Claudio , & Cn. Lentulum , apud quos reus factus est , in eadem oratione uideo nominari .

Argu-

## Argumentum ep. 6.

**E**xponit suam diligentiam, in eo adhibitam, ne Sextio, qui cum C. Antonio proconsule quaestor in Macedoniam iuerat, succederetur. addit de domo a se empta, non sine ioco: de Sextij, quae aedificabantur, aedibus: de C. Antonio a se in senatu defenso. M. Messalla, M. Pisone cos.

Cicero S. D. P. Sextio L.F. procos. 6.

**C**V ad me Decius librarius uenisset; egissetq. me cum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore succederetur: quamquam illum hominem frugi, & tibi amicum existimabam; tamen, quod memoria tenebam, cuiusmodi ad me litteras ante misisses, non satis credidi homini prudenti, tam ualde esse mutatam uoluntatem tuam. sed postea quam & Cornelia tua Terentiam conuenit; & ego cum Q. Cornelio locutus sum: adhibui diligentiam, quoruscumque senatus fuit, ut adesset: plurimumq. in eo negotij habui, ut Q. Fufium tribunum pl. & ceteros, ad quos tu scriperas, cogerem mibi potius credere, quam tuis litteris. omnino res tota in menjem Ianuarium reiecta erat, sed facile obtinebatur. Ego, tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scriperas, uelle te bene euenire, quod de Craffo domum emisse, mi eam

ipsam domum xxxv, aliquanto post tuam gratulationem. itaque nunc mescoito tantum habere aeris alieni, ut cupiam coniurare, si quis me recipiat. sed partim odio induit me excludunt, & aperite uindicem coniurationis oderunt: partim non credunt; & a me insidias metunt; nec putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione feneratores exemerit. omnino semissibus magna copia est: ego autem meis rebus gesitis hoc sum affecitus, ut bonum nomen existimer. Domum tuam, atque aedificationem omnem perspexi, & uehementer probauit. Antonium, et si eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu grauissime, ac diligentissime defendi; senatumq. uehementer oratione mea, atque auctoritate commouit. Tu ad me uelim litteras crebrius mittas. Vale.

## EXPLANATIO

**P. SEXTIO** { quaestor Antonio fuit & consuli Romae, & proconsuli in Macedonia. quod ex oratione pro ipso patet. **PRO COS.** { sic omnes antiqui libri, eadem ratione, qua Proconsul Sallustius in ep. 17. lib. 2. inscriptione nominatur. **FRVGI**, { a quo genere hominum prudentia spectare uidetur. itaque subiunxit, Non satis credidi homini prudenti. **Q. FUVIUM** tribunum pl. { hic locus epistolam Messalla & Pisone cos. scriptam esse significat, nam hoc anno tribunatum a Fufio gestum ait Dio lib. xxxix. idq. confirmat Asconius, qui, quo tempore Clodius de incestu accusatus est, huius Fufij opera factum tradit, ne a senatu asperius decerneretur. de incestu autem Clodij actum Pisone, & Messalla cos. ex ep. ad Att. lib. 1. in quibus etiam Fufius tribunus pl. nominatur, facile intelligitur. Idem, in terfecto Clodio, acerrimus Milonis fuit aduersarius: & a Cicerone notatur in oratione pro Milone: cum ait: Diuisa sententia est, postulante nescio quo: nihil enim necesse est, omnium flagitia proferre. Biennio post, aedilitate omissa, praeturam gesit Caesare, & Bibulo cos. legemq. de suffragijs tulit. testis Dio. consul fuit cum P. Vatinio, anno DCCLV. ut fasti docent Capitolini. Sacer fuit Panuae consulis, qui Mutinensi proelio, partium reip. contra M. Antonium defensor, interfactus est. Defendit Antonium in senatu, a Cicerone oppugnatum: ut ex Philippicis, & epistolis ad Brutum constat. Caleno, cognomen fuit. **SCRIPSEAS**, { cupere te, ut tibi succederetur. **D. CRASSO** { a Craffo. Notum loquendi genus. Hoc & in ea declamatione, quae Sallustij nomine inscribitur, in Ciceronem confertur his uerbis: Domum ipsam tuam uii, & rapinis, funestam tibi, ac tuis, comparasti; uidelicet ut nos commonefacias, quam conuersa est resp. cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quae P. Craffi, uiri consularis, fuit. xxxv. { tricies quinques: ut subaudiatur, centenis millibus nummum: id est centum quinque scutariorum millibus, accepit autem mutua a P. Sulla, qui tum reus erat, H. S. uicies, id est sexaginta scutariorum millibus, ut ait Gellius lib. XII. cap. 12. Haec domus primum fuerat M. Liuij Drusii, eius, qui tribunus pl. initio belli Italici a nescio quo est interfactus. deinde possedit eam Craflus hic, a Cicerone nominatus; post Craffum, Cicero; post Ciceronem, Censorinus; post Censorinum, Statilius Sifenna. quod Velleius lib. II. memoriae tradidit. **VT. CVPIAM** coniurare, { iocatur: quia Catilina, eiusq. socij, cum aes alienum feneratoribus soluere non posset, in patriam coniurarunt. Sallustius. **EXCVDVNT**, { coniurationis participes. **EX. OB SIDIONE**, { maxime enim contra feneratores, & locupletes facta coniuratio est. quo spectat illud in ep. 1. lib. 1. ad fratrem: Publicani, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio incolumes se fortunas habere arbitrantur. Et lib. 2. Off. Numquam uehementius actum est, quam me consule, ne solueretur: armis, & castris tentata res est. **EXEMERIT**, { oppresa enim coniuratione, feneratores impendent periculo liberati. **OMNINO** semissibus magna copia

*copia est: & Medicus liber, & reliqui habent, Omni, non, Omnino, uno excepto, qui Thomae Leonini fuit, doctissimi hominis, in quo est, Omnino. Omni, pro cuiuslibet, duriusculi possum uidetur, nam illud ep. 3. lib. vii. ad Att. Hic, omnia facere omnis, ne armis decernatur: potest esse quarto casu, numero multitudinis. quare, Omnino, malui, consensu tamen antiquorum exemplarum indicato. Deinde, inquit, nummi non possunt, si quis usuras semissas uelit pendere, id est senos annos pro centenis, haec autem civilis & moderata fuit usura: grauissima uero omnium, quae legibus concedebantur, ea fuit, cum duodenii anni pro centenis: quae centesima vocabatur. in quo dissentire cogor a doctis hominibus, qui affirmant, unciarium fenus leuissimum fuisse: quod, ut arbitror, grauissimum fuit, idemq. cum centesima. usurarum enim quaedam nomina menstruā solutionem, quedā annuam significant: menstruam, ut centesima, unciaria, semunciaria: annuam, ut semis, triens, bes, nam, si centesima uel unciaria, uel semi-uncaria, semel in anno solueretur: quis tātulo quaestu, pecunia suam collocaſſet? rursus, si bes, uel semis, uel etiam triens, usura menstrua esset: quis, tanta rei familiaris iactura, fenebrem pecuniam accipere voluisset? Opinor igitur unciarium fenus & centesimam idem esse: ut ratio habeatur menstruae solutionis, non annuae: semunciarum autem idem cum semisibus: ut in semisibus annua solutio spectetur, in semuncario fenore, menstrua, propterea lib. v. ait Tacitus, xii. tabulis sancitum esse, ne quis unciario fenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agitaretur: deinde rogatione tribunica usuram ad semuncias redactam. Nam, si duodecim tabulae annum fenus unciarium significant: & si tribuni pl. postea de semuncario item anno rogationem tulissent: graues admodum postea semissas usurae uisae essent, quas tam ciuiles ac modicas fuisse, tum Plinius lib. xiv. cap. 14. tum alij satis ostendunt, grauissima uero centesima, quae tamen legibus concedebatur: supra uero non licebit: ideoq. cum trientem, semis, besiem, non minari uidemus, non de menstrua, sicut in unciario fenore, sed de annua dictum usura existimare debemus. alioqui non fuisse grauissima omnium centesima. EGO. A V T E M meis rebus gestis: Mea, inquit, praecepsa causa est: cum ob res a me gestas, id est ob feneratores, quibus exitium Catilina moliebatur, bonum nomen, id est bona fidei debitor existimer. Debitorum nomina in expensi codicem referebantur. inde factum, ut Nomen acciperetur & pro debita pecunia, unde, exigere nomina, in Verrem; & pro debitore, ut hic, & quod ab Alphio feneratore dici solitum refert Columella, uel optima nomina non appellando fieri mala. ANTONIVM, C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu, qui hoc tempore Macedoniam regebat. OMNES, omnes, qui testes sunt meorum in te meritorum. Dixit enim in epistola superiori: Meus in te animus quam singulari officio fuerit, & senatus, & populus Romanus testis est. DESIDERANT, sic in proxima superiori: Si abs te summa officia desiderem, mirum nemini uideri debeat. Et ibidem, post: Nullam mihi abs te relata esse gratiam, tu es optimus testis. Notatur ingrati animi uitium hoc uerbo: quia desiderantur ea, quae non habeamus. IN. SENATV, cum ageretur de Antonio ex prouincia ob rapinas reuocando: ut ex ep. 10. lib. 1. ad Att. intelligo: in qua scriptum est hoc: Pompeiani prodromi nunciant, aperte Pompeium acturum, Antonio succidi oportere. Et ibidem, paullo post, pecuniae nominantur a C. Antonio iniuste coactae. et porro epistola jisdem, quibus haec, id est Pisone, & Messalla cos. scripta est. Reuocatus tamen Antonius hoc anno non est, sed in prouincia mansit usque ad consulatum Caesaris, & Bibuli; quibus consulibus damnatus est, atque etiam uidetur aliquot eius anni menses in Macedonia fuisse, si epitomae Liuianae uerba considerentur. GRAVISSIME, ut grauiter accusare, ita grauiter defendere, dicitur: quae summi studij significatio est. DEFENDI, quamquam, nec licere sibi eum defendere, nec libere, iam ad Atticum scriperat, ep. 10. lib. 1. COMMΟVI, ita commouit, ut manserit postea C. Antonius in prouincia usque ad Caesarem, & Bibulum cos.*

### Argumentum ep. 7.

GRatulatur Pompeio de Mithridate uicto: deinde carpit eum, ut gratias referenda parum studiosum, quia sibi de Catilinae coniuratione extincta frigide gratulatus erat: se tamen ei tum in resp. tum in amicitia coniunctum fore significat. scripta Silano & Murena cos. ante ceteras omnes, quae hoc uolumine continentur.

Cicero S. D. Cn. Pompeio. Cn. F. Magno, imp. 7.

SI TV exercitusq. ualeatis, bene est. Ex litteris Stuis, quas publice misisti, cepi una cū omniib. incredibili uoluptate. tantam enim spem otij ostendisti, quantam ego semper omnibus, te uno fretus, pollicabar sed hoc scito, tuos ueteres hostes, nouos amicos, uehementer litteris perculsus, atque ex magna spē deturbatos, iaceat. Ad me autem litteras quas misisti, quamquam exigua significationem tuac erga me uoluntatis habebant, tamen

men mihi scito incundas fuisse. nulla enim re tam laetari soleo, quam meorum officiorum conscientia. quibus si quando non mutuo respondetur, apud me plus officij residere, facillime patior. illud non dubito, quin, si te mea summa erga te studia parum mihi adiunxerunt, resp. nos inter nos conciliatura, coniuncturaq. sit. ac, ne ignores, quid ego in tuis litteris desiderarim: scribam aperte, sicut & mea natura, & nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarum aliquam in tuis litteris, & nostrae neces-

situdinis, & reip. causa, gratulationem exspectavi: quam ego abs te praetemissam esse arbitror, quod uerebare, ne cuius animum offenderes. sed scito, ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae iudicio, ac testimonio, comprobari, quae, cum ueneris, tanto consilio, tantaq. animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi, multo maiori, quam Africanus fuit, me, non multo minorem, quam Laelium, facile & in rep. & in amicitia adiungendum esse patiare. Vale.

## EXPLANATIO

**C**N. F.} Cn. Pompeij Strabonis, qui de Asculanis, & Picentibus consul triumphauit, anno D C L X I V .  
**M A G N O ,}** hoc ei cognomen dedit Sulla, salutatio; cum adhuc eques Romanus, adolescentis annos natus XXIV. Siciliam, electo Perperna, caeso Carbone consule, Marianarum partium ducibus, recuperasset, Africam uero x. l. diebus, imperfecto Cn. Domitio, Hiarba, Mumidiae rege, capto subegisset. epitome, Velleius, Plinius, Plutarchus, alij. **M I S I S T I ,}** ex castris, confecto bello Mithridatico: ex quo triumphauit anno sequenti, pridie Kal. Oct. die natalis sui, ut scripsit Plinius lib. XXXVII. **S P E M oti,** ab externis bellis. unus enim, reliquis deuictis, aut pacatis, formidandus hostis Mithridates uidebatur: cum quo per annos triginta continenter bellum gessit populus Romanus. **P O L I C E B A R .}** id maxime pollicitus est in oratione pro lege Manilia. **V E T E R E S hostes ,}** M. Crassum, & L. Lucullum puto significari; quibus potentia, & gloria Pompeij molesta semper fuit. **N o v o s amicos ,}** Pompeo quidem ita reconciliatos, ut apertas non gererent inimicias, eius tamen secunda fortuna ualde maerentes. **P E R C U L S O S ,}** perculti deturbantur, & deturbati iacent. ideo dixit, Perculsi, atque ex magna spe deturbatos, iacere. sic ep. 4. lib. 1v. Perculsa, & prostrata foedissimo bello iacent omnia. **E X . M A G N A spe deturbatos ,}** non dubito, quin hoc loquendi genus, ut alia multa, a Graecis fontibus deduxerit. dixit enim Plato in Euthyphrone: Απ' ἐλπίδος με καταβαλώ μεγάλης απέσχυ. **M E O R V M officiorum ,}** quorum te non satis esse memorem, litterae tuae significant. Officia uero Ciceronis in Pompeium erant multa: cum eius dignitatis ab adolescentia faustor, in praetura autem, & in consulatu adiutor etiam exstitisset. quod scripsit ad Lentulum ep. 9. lib. 1. praetor enim sua sit Maniliam rogationem, ut ei bellum Mithridaticum demandaretur. consul ad senatum retulit, quia maritimis terrestribusq. bellis uirtute sua Pompeius finem attrulisset, ut ei duplicaretur supplicatio consularis, idest dierum decem decerneretur: quod ante nemini concessum erat. in oratione de prouincijs. **N o n mutuo respondetur ,}** & hic mordet Pompeium, qui suis officijs non mutuo respondere uideatur. **F A C I L L I M E patior ,}** hoc loquendi genere neque laetitia, neque molestia significatur: perinde ac si dicas, non labore. probatur exemplis. ep. 9. lib. 1. Facile patior ea me de rep. sentire, ac dicere, quae maxime cum mihi, tum etiam reip. rationibus putem conducere. pro, non inuitus ea sentio, ac dico. & ep. XI. lib. VI. Vestorius ad me scripsit, temihi gratias agere. haec praedicatio tua mihi grata est: eaq. te uti facile patior. Et ad Att. ep. 43. lib. XII. Hirium aliquid ad te συμπράθω: de me scripsisse, facile patior. **M E A summa erga te studia ,}** quae non tanti Pompeius aestimare uidebatur, ut eum diligenter: idq. significauerat gratulatione praetermissa. **R E S eas gessi ,}** quaram causa senatus ei togato supplicationem decrevit; Q. Catulus parentem patruicinominauit; L. Gellius ciuicam coronam deberi a rep. dixit. ep. 4. lib. xv. & in Pisonem, Gellius lib. v. cap. 6. **N E . C V I V S animum offenderes ,}** ut C. Caesaris, aut M. Crassi, quos occulte fauore coniuratis multi suspiciati sunt. Crassum etiam, ut conscient, & participem coniurationis, in senatu a L. Tarquinio nominatum, scripsit Sallustius, confirmauerunt Plutarchus, & Dio. Caesar quidem, ne coniurati uita priuarentur, accurata oratione disseruit. idem Sallustius, Plutarchus, Appianus, alij. **T A N T O consilio , tantaq. animi magnitudine ,}** quod utrumque requiritur in custode ciuitatis: & in utroqne Ciceronem excelluisse, cum illa indicia communis exitij indagauit, patefecit, extinxit, historiae demonstrant. **A F R I C A N V S ,}** minor, qui Carthaginem, & Numantiam euertit. hunc enim Cicero significat, cum simpliciter eum nominat. **L A E L I V M ,}** ut duo Africani, sic Laelij duo memorantur: quorum utrorumq. pariter amicitia celebratur. nec in re manifesta, exemplis opus est.

## Argumentum ep. 8.

**M** Licinius Crassus, eius P. Crassi filius, qui se ipsum, ne in manus incideret inimicorum, occidit, ut est in orationibus pro Scauro, & pro Sextio, Romanorum opulentissimus, postremis diebus secundi consulatus sui, contra diras, & obnunciationes Atej tribuni pl. de quibus Appianus, Plutarchus,

B b tarchus,

tarchus, Dio, in Syriam prouinciam profectus est; cum apud Ciceronem in eius generi Crassipedis hortis cenasset; ut legimus in ep. 9. lib. 1. Ad eum Cicero in prouinciam scribit, quam studiose dignitatem eius in senatu defendet: excusat superiorum temporum simultatem; constantiam, & fidem, post gratiae reconciliationem, pollicetur, affirmans eius honestati, & gloriae nullo umquam se loco defuturum: quiddam etiam de suo in filium eius P. Crassum amore, eiusq. in se obseruantia, interponit: Negotialis, & moralis epistola: nam & actam in senatu rem narrat; & de reliquo tempore omnia studia, sine ulla exceptione, promittit. Scripta L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro cos. qui Pompeio, & Crasso proxime successerunt.

Cicero S. D. M. Licinio P. F. Crasso. 8.

**Q**UANTVM meum studium exsisterit dignitas tuae uel tuendae, uel etiam angendae, non dubito, quin ad te omnes tui perscriperint: non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset praeteriri. nam & cum consularibus, & cum multis consularibus tanta contentione decertauit, quanta numquam antea ulla in causa: suscepit mibi perpetuum propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: ueteriq. nostrae necessitudini iamdiu debitum, sed multa uarietate temporum interruptum officium cumulate reddidi. Neque mehercule umquam mibi tui aut collendi, aut ornandi uoluntas desuit: sed quaedam pestes hominum, laude aliena dolentium, & te non numquam a me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. sed exstitit tempus optatum mibi magis, quam speratum, ut, florentissimis tuis rebus, mea perspicere posset & memoria nostrae uoluntatis, & amicitiae fides. sum enim consecutus, non modo ut domus tua tota, sed ut cuncta ciuitas me tibi amicissimum esse cognosceret. itaque & praestantissima omnium seminarum uxor tua, & eximia pietate, uirtute, gratia tui Crassi meis consiliis, monitis, studijs, actionibusq. nituntur: & senatus, populusq. R. intelligit, tibi absenti nihil esse tam promptum, aut tam paratum, quam in omnibus rebus, quae ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quae sint alta, quaeq. agantur, domesticorum tibi litteris declarari puto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas uebementer uelim; non me repentina aliqua uoluntate, aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendam incidisse, sed, ut primum forum attigerim, spectasse semper, ut tibi possem quam maxime esse coniunctus, quo qui dem ex tempore, memoria teneo, neque meam tibi obseruantiam, neque mibi tuam summam benevolentiam, ac liberalitatem desuisse. si qua in terciderunt, non tam re, quam sufficie uolata, ea cum fuerint & falsa, & inania, sunt euisa ex omni memoria, uitaq. nostra. is enim tu uir es, & enim me esse cupio, ut, quoniam in eadem reip. tempora incidimus, conuictionem, amicitiamq. nostram utrique nostrum laudi sperem fore. Quamobrem tu, quantum tuo iudicio tribendum nobis esse putas, statues ipse, & ut spero, statues ex nostra dignitate: ego uero tibi profiteor, atque polliceor eximium, & singulare meum studium in omni genere officij, quod ad honestatem, & gloriam tuam spectet. in quo, etiam si multi mecum contendent, tamen, cum reliquis omnibus, tum Crassis tuis iudicibus, omnes facile superabo: quos quidem ego ambos unice diligo, sed in Marco benevolentia impari: hoc magis sum Publio deditus, quod me, quamquam a pueritia sua semper, tam hoc tempore maxime, sicut alterum parentem, & obseruat, & diligit. Has litteras uelim existimes, sederis habituras esse uim, non epistolae; meq. ea, quae tibi promitto, ac recipio, sanctissime esse obseruantur, diligenterissimeq. facturum. Quae a me suscepta defensio est, te absente, dignitatis tuae, in ea iam ego non solum amicitiae nostrae, sed etiam constantiae meae causa per manebo. quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum, hoc ad te scribere; me, si quid ipse intelligerem ant ad uoluntatem, aut ad commodum, aut ad ampliandam tuam pertinere, mea sponte id esse facturum; sin quippiam aut a te esse admonitus, aut a tuis, effectu, ut intelligeres, nihil neque te scripsisse, neq. quemqua tuorum frustra ad me detulisse, quamobrem uelim ita & ipse ad me scribas de omnibus minimis, maximis, mediocribusq. rebus, ut ad hominem amicissimum; & tuis praecipias, ut opera, consilio, auctoritate, gratia mea sic ut antur in omnibus publicis, priuatis, forensibus, domesticis tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negotijs, ut, quo ad eius fieri possit, praesentiae tuae deferum meo labore minuatur. Vale,

### EXPLANATIO

**C**V M consularibus, & cum Domitio, & Appio, fortasse contendentibus, ut reuocaretur Crassus; quandoquidem, dirarum obnunciatione neglecta, in prouinciam iuisset: quod pernicisum reip. fore uidebatur, sicuti fuit, ipso cum exercitu a Parthis imperfecto. IN TERRA PVTVM obcam simultatem, quam

quam inter eos Catilinac temporibus exortam, quia Crassus coniurationis conscius, & particeps putatur, Plutarchus in Crassi uita prodidit. **P E S T E S h o m i n u m**, } ut & Crassum, & se ipsum culpa libera-  
ret, artificijs hominum hic, proxime autem uarietate temporum factum esse dicit, ne, quemadmodum in-  
stiterant, perpetuo amarent interse. Pestes hominum, pro pestiferi homines, uitandi tamquam pestis.  
**L A V D E }** laus enim sita est in mutua benevolentia: cum utriusque dignitas utriusque augeri possit officijs.  
confirmatur infra, cum dixit: Is enim tu uir es, & eum me esse cupio, ut amicitiam nostram utrique no-  
strum laudi sperem fore. **I M M U T A R V N T** } minus est, quam Alienarunt: ut, quo nunc erga Cras-  
sum apimo sit, uel hoc probet argumento, quod, eo a se alienato, ipse tamen adduci non potuerit, ut ama-  
re prorsus desineret. **O P T A T V M magis, quam speratum**, } hoc refertur ad id, quod sequitur, Floren-  
tissimis rebus tuis: quia rebus afflictis, non florentissimis, amor uere perficitur. Mihi autem, inquit,  
contigit, quod optabam potius, quam sperabam, ut optimo rerum tuarum statu, mea tamen & me-  
moria ueteris nostrae necessitudinis, & post reconciliatam gratiam fides perspici posset. Confirmat  
hanc sententiam epistola ad Paetum: Non facile dijudicatur amor uerus, & fictus, nisi aliquod incidat  
eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit: cetera sunt  
signa communia. Eodem loquendi genere usus est lib. 2. ad Q. fr. Id erat huiusmodi, ut magis optandum,  
quam sperandum putarem. Et lib. 1. de Orat. Insperanti mihi, & Cottae, sed ualde optanti utrique no-  
strum cecidit, ut in istum sermonem, Crasse, delaberemini. & Balbus lib. 11x. ad Att. Ut adduci ad ul-  
lam conlicionem Pompeius posuit, magis opto, quam spero. **F I D E S**, } quae maxime requiritur in  
ijs, qui, post simultatem, amicitia iuncti sunt. ad Appium, ep. 8. lib. 111. Si quis est, qui neminem bona  
fide in gratiam putet redire posse; non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam. Et ad cundem,  
ep. 10. Si essem ea perfidia, qua sunt ij, qui in nos haec conferunt. **V X O R tua**, } Tertullae nomen  
fuisse, & a Caesare stupratam, Suetonius auctor est. **T V I C r a s s i**, } filii, Marcus, & Publius: quos hoc  
tempore constat esse Romae: quamquam Publius paullo post patrem subsecutus est, cum quo perijit in Par-  
this. Marcum autem & ante hoc tempus, & post in Gallia Caesaris quaestorem fuisse, patet ex libris 1. 2.  
3. 5. 6. quos ipse Caesar de rebus a se in Gallia gestis composuit. **N I T V N T V R**: } plus est, quam  
utuntur. est enim, Niti, fulciri, sustentari, quasi roboris in eo, qui nititur, pro rerum grauitate parum  
fit. **N O N . M E repentina**, } ne uideatur simulata, & ad artem composita benevolentiae significatio,  
quia tam prolix, cum paullo ante simulas inter eos fuisset, officia sua pollicetur, ac deferat; non est,  
haec, inquit, augendae tuae dignitatis repentina uoluntas, sed quaedam pristini studij renouatio, a pri-  
ma adolescentia suscepit. **V r primum forum attigerim**, } toga uirili sumpta, absoluto anno aetatis x vi.  
uel ad eos, qui ius ciuile profitebantur, uel in forum, ut oratores audirent, adolescentes ire soliti sunt.  
Cicero statim ad Scaeuelam iurisconsultum accessit, deductus a patre, ut ipse scribit in Laelio. primam  
uero priuatam caussam pro P. Quintio egit annos natus xix vi, publicam xxvi i, pro Sex. Roscio  
Amerino: quod utrumque Gellius animaduertit. **O B S E R V A N T I A M**, } uel lactatis, uel honorum  
gratia. Sex enim annis natu maior, quam Cicero, erat Crassus, totidemq. prior consulatum gessit. iure  
igitur plus Crasso tribuit, quam sibi: ut infra quoque: Is enim tu uir es, & cum me esse cupio. **N O N**  
**T A M re**, } iniuriarum memoria coire animos, & coniungi amore mutu o uix patitur. ideo praeteritae  
offensa suspicione utrumque liberat. **V I O L A T A**; } sic ad Att. ep. 15. lib. 1. Illa, quae uiolata,  
expiabuntur. Violari enim dicitur, quasi sacro sancta amicitia sit. **I N A N I A**, } indigna, quae cogite-  
mus: leuia, minimi ponderis. **E v m me esse cupio**, } laudis cupiditatem profiteri, arrogantiae non est:  
& modestia benevolentiam conciliat. **S T A T V E S ipse**, } nihil petit; quid tamen expectat, eo, quod  
sequitur, ostendit. est enim haec epistola ut omnium officiosissima, sic eadem omnium prudentissime ac  
modestissime conscripta. **Q v o d ad honestatem & gloriam tuam spectet**, } quod tibi uel honori, uel  
gloriae possit esse. Non omnino idem, sed si mile in ep. 1. lib. x. Omne nostrum consilium, studium, of-  
ficium, operam, labore, diligentiam ad tuam amplitudinem conferemus. **P V B L I O**, } quo intercede-  
nte, Cicero, & Crassus reconciliati sunt, amabat is Ciceronem unice propter eloquentiam. ep. 8.lib.2.  
ad fratrem: Totum negotium Crasso permisi, meq. in eius potestate dixi fore. interfuit huic sermoni P.  
Crassus, adolescens nostri, ut scis, studiosissimus. Et in Bruto: Quae quidem etiam cum P. Crasso M. F.  
cum initio aetatis ad amicitiam se meam contulisset, saepe egisse me arbitror; cum eum uchementer hor-  
tarer, ut eam laudis uiam rectissimam esse duceret, quam maiores eius ei tritam reliquissent. erat enim  
cum institutus optime, tum etiam perfecte planeq. eruditus: ineratq. & ingenium satis acre, & orationis  
non inelegans copia: praeterea q. sine arrogantia grauis esse uidebatur, & sine segnitia uerecundus. Inter-  
ficius est a Parthis, ut Plutarchus, Appianus, Dio multis uerbis exponunt. **C O N S T A N T I A E** ne  
famam inconstantiae subeam. ep. 5. **M E a sponte**, } similiter ep. 8.lib.vi. **Q v o d**. **E I V S**  
fieri possit, } quam maxime possit, quantum liceat. **D E S I D E R I V M**, } quo tenentur amici tui, ho-  
spites, clientes, qui, te praesente, opera, consilio, auctoritate, & gratia tua nitebantur. **M E o labo-**  
**re**, } quem eorum causa, non modo tua, suscipiam. **M I N V A T V R**, } tolli enim prorsus non potest.  
propterea dixit, Quoad cuius fieri possit.

## Argumentum ep. 9.

**P.** Vatinius, qui tribunatum pl. gesserat Caesare consule, omniaq. ex eius libidine administraverat, post consulatum in Illyricum a Caesare dictatore missus, ut Appianus, & Dio significant, commendat suam dignitatem Ciceroni contra maleuolorum, atque inuidorum obrectationes. rebus enim prospere gestis, supplicationes, missis ad senatum litteris, petebat. Caesare IV. Consule, sine collega.

**P.** Vatinius imp. S. D. Ciceroni suo. 9.

**S**i males, bene est: ego haleo. si tuam consuetudinem Sin patriniſ tuendis seruas, P. Vatinius cliens ad te nent, qui pro ſe cauſam dicier mult. non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepisti. ego autem quem potius adoptem, aut inuocem, quam illum, quo defendente uincere didici? an uerear, ne, qui potentissimorum hominum conſpirationem neglexerit pro mea ſalute, is pro honore meo, puerorum, ac maleuolorum obrectationes, & inuidias non proſternat, atque obterat? Quare, ſi me, ſicut ſoles, amas; ſi ſcipe me totum, atque hoc, quidquid eſt oneris, ac muneriſ, pro mea dignitate tibi tuendum, ac ſuſtinendum putat. ſcis meam fortunam neſcio quo modo facile obrectatores inuenire, non meo

quidem mehercule merito: ſed quanti id refert, ſi tamen fati neſcio quo accidit? ſi quis forte fuerit, qui noſtra dignitati obesse uelit; peto, & te, ut tuam consuetudinem, & liberalitatem in me abſente defendendo mihi praefiles. Litteras ad ſenatum noſtris de rebus, gestis quo exemplum misera, inſra tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus ſeruus anagnosſes fugitiuſ cum Vardaeis eſſe: de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen, terra, mari, ut conquireretur, praemandau: & proſecto tibi illum reperiam, niſi in Dalmatiam auſugerit: & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. ad v. id. Quint. ex caſtris Narona.

## EXPLANATIO

**V**ATINIUS} Struma dictus, quia tumidam struma ceruicem haberet. ex quo eum, ut in Plutarcho legimus, inflatum oratorem Cicero per iocum appellavit. Eodemq. spectat illud in oratione contra eum habita in ſenatu: Repente enim tecum, tamquam ſerpens elatibus, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intulisti. Et in ea pro Sextio: Si medentur reip. qui exſecant peftem aliquam, tamquam ſtrumam, cruitatis. Et ad Att. ep. 9. lib. 2. Vatinij ſtrumam ſacerdotij διεράψω ueliant. Vatinios autem, Vatios, Varos a cruribus dictos, ait Plinius lib. xi. cap. 45. IMP.} ab exercitu, nondum a ſenatu appellatus: cum nondum decretae eſſent supplicationes. CLiens} defenderat eum, rogatu Caſaris, Cicero, a Caluo de ambitu accusatum: quo iudicio aſolutus eſt. defendit & alio crimine, iudicio publico, ut Valerius Max. lib. iv. cap. 2. ſcriptum reliquit. IN HONORE,} in ſupplicationibus a ſenatu impetrandiſ. AD OPTEM,} eligam patronum: uel, Adoptem, exoptem: ut Ciceronis filius, ep. 24. lib. xvi. Adoptatiſſimus aduentus, dixit, pro, exoptatiſſimus. FATO,} Fatum ait Alexander cauſam eſſe, & cauſam agentem: cauſarum enim quatuor genera eſſe: quae agit, ut ſtatuarium; quae materia eſt, ut aes, aut lapis, ex quo fit ſtua; quae forma, quam ſtatuarius ex ea materia facere cogitauit; quae ſinuſ, ut cum artifex non id ſolum ſpectat, ut ſtua faciat, ſed ut ſtua facta, uel pecuniam, uel honorem conſequatur. Porro, non eiusdem generis agentes cauſae ſunt, quaedam enim aguntur alicuius rei gratia, quaedam uero nihil eo, qui agit, cogitante. quae aguntur aliqua cauſa, uel a natura, uel a ratione aguntur. quae ratione aguntur, & agi poſſunt, & non agi: agendi enim facultas in nobis eſt. itaque eiusmodi rerum cauſa fatum non eſt, uerum electio noſtra. eſt igitur fatum in ijs, quae natura fiunt: nec inter fatum, & naturam, praeter nomen, quidquam intereſt. aequa enim & natura, & fatu equis ex equo, homo ex homine generatur. nam, ut naturalis rerum omnium generationis cauſae prima diuina ſunt, certo ordine, & perpetuo motu circumducta: item fati non aliae cauſae ſunt, quam quae a diuinis pendent. Nec tamen fatum eſt cauſa, propter quam ſemper aut hoc, aut illud neceſſario fiat, ſed plerumque: ut in ijs quoque, quae natura fiunt, locum habent ea, quae interdum praeter naturam fiunt. Atque hanc eſſe Peripateticorum de fato opinionem, ex Alexandro cognoscitur. Alij uero fato omnia fieri uolere: quos refellit idem Alexander: cum ab ijs fortunam, & cauſum, & omnes humanae uitiae actiones, & consultationem auferri dicat. Vide ep. 12. lib. iv. LIBERALITATEM,} liberalis eſt, non modo qui pecuniam largitur, ſed etiam qui quocumque officij genere ſubuenit, aut commo- dat. ep. 9. lib. 1. in extremo. & ep. 9. lib. v. AD SENATVM,} ut ſupplicationes ei decernerentur.

DE RE-

**D E . R E B V S g e s t i s }** in Dalmatia: ut in epistola, quae sequitur. **T V V S s e r u s** } Dionysius. in epistola sequenti, & lib. xiiii. ep. 77. ad Sulpicium. **C V M V a r d a e i s**, } Dalmatiae populis; a quibus olim uastatam Italiam, auctor est Plinius lib. xxi. cap. 22. Antea, Vardacis: nos olim, Vardacis, restitui-  
mus. **I N . D A L M A T I A M**, } in quam eum aufugisse iam audierat: dixit enim, Dicitur mihi cum Vardacis esse. Dalmatiae nomen ab urbe Daimmio deductum, significat Strabo lib. vii. **A D . v . id.**  
**Q u i n q u a**, } scripta igitur est epistola ante redditum Caesaris ex Hispania, in qua Pompej liberos iam deu-  
cerat, nam Velleius, cum Romam Octobri mense reuertisse, auctor est. **N A R O N A**, } & fluuius, &  
castellum fuit. Plinius, Ptolemaeus.

## Argumentum ep. 10.

**S**cribit de Dionysio seruo, de Catilio pirata, de rebus a se in Dalmatia gestis, pro quibus supplicationes sibi decerni postulat. Eodem anno, cum in urbem rediisset Caesar.

**Vatinius imp. S . D . Ciceroni.** 10.

**S**i uales bene est: ego quidem ualeo. De Dionysio  
Stuo adhuc nihil extrico, & eo minus, quod me fugi-  
sus Dalmaticum, quod illinc eiecit, etiam hic refrigerauit.  
sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam.  
Sed tamen omnia mihi dura imperas. de Catilio nescio  
quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimae. apace  
tecum nostro Sex. Seruilio: nam mehercule ego illum  
quoque amo. sed huiuscmodi nos clientes, buiustodi-  
cauissas recipitis? hominem unum omnium crudelissi-  
mum, qui tot ingenuos, matres familias, ciues R. occidit,  
arripuit, disperdidit, regiones uastauit? simius, non se-  
milius homo, contra me arma tulit; & eum bello cepi. sed  
tamen, mi Cicero, quid facere possum? omnia mehercule  
cupio, quae tu mihi imperas. mean animaduersionem,  
& supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepisse,  
remitto tibi, & condono. quid illis respondere possum,  
qui sua bona directa, naues expugnatas, fratres, liberos,  
parentes occisos, actione expostulant? si mehercule Appijs  
os haberem, in cuius locum sufficius sum; tamen hoc  
sufficere non possem. quid ergo est? faciam omnia se-  
dulo, quae te sciam uelle. defenditur a Q. Volusio, tuo

discipulo. si forte ea res poterit aduersarios fugare, in eo  
maxima spes est. Nos, si quid erit istuc opus, defendes.  
Caesar adhuc mihi iniuriam facit: de meis supplicationi-  
bus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi  
uero non iustissimi triumphi in Dalmatia res gererim.  
nam, si hoc expectandum sit, dum totum bellum con-  
ficiam: uiginti opida sunt Dalmatiae antiqua: quae ipsi  
sibi adscinerunt, amplius sexaginta. haec nisi omnia ex-  
pugno, si mihi supplicationes non decernuntur; longe a-  
lia condicione ego sum, ac ceteri imperatores.

Ego, post supplicationes mihi decretas, in Dal-  
matiam profectus sum: sex opida ui oppugnando cepi:  
unum hoc, quod erat maximum, quater a me iam cap-  
tum: quattuor enim turres, & quattuor muros cepi, &  
arcem eorum totam: ex qua me nines, figura, imbre de-  
truserunt: indigneque, mi Cicero, opidum captum, & bel-  
lum ianuam confectum relinquere sum coactus. Quare te  
rogo, si opus erit, ad Caesarem meam causam agas, meq.  
tibi in omnes partes defendendum putas; hoc existimans,  
neminem te tui amantiorem habere. Vale. nonis Dec.  
Neronia.

## E X P L A N A T I O

**O**MNIA mihi dura, } cum neque seruum inuenire, neque de Catilio, quod petis, facile possim  
concedere. **I M P E R A S.**, } iam igitur ei per litteras Cicero de Dionysio seruo mandauerat.  
nam in superiori epistola nihil sibi mandatum Vatinius dixit. **D E C a t i l i o**, } pirata. **A P A G E T E**, }  
hac uoce reiijcimus a nobis eos, qui molesti sunt. utuntur ea frequenter comici. **M A T R E S F A M I L I A S**, }  
feminas honoratas. Hoc nomen pluribus modis accipitur: primum, quae peperit ex marito patre familias:  
deinde, quae tantummodo maritum patrem familias habet, licet non pepererit: tertio, quae conuenerit in  
manum, idest per coemptionem nupserit; quae sola in heredis locum ueniebat: quarto, quae maritum a-  
miscerit, uideaq. honeste uiuat. Primum probatur ex Festo, cum ait: Nec uidea hoc nomine, nec, quae  
sine filiis est, appellari potest. Quod negat Vlpianus. Secundum ex Cicerone in Topicis. Genus, inquit,  
est uxor: eius duas formae, una matrum familias, earum, quae in manum conuenerunt; altera earum, quae  
tantummodo uxores habentur. Quod Gellius auctoritate ueterum uidetur confutare, solam affirmans  
appellatam esse matrem familias, quae in marii manu, mancipioq. esset. Tertium haec ipsa ex Topicis  
proxime recitata uerba demonstrant. Accedit Quintilianus. Si quis, inquit lib. v. cum legatum sit ei,  
quae uiro mater familias esset, neget deheri ei, quae in manum non conuenerit. Et Gellius lib. xix. c. p. 6.  
Matrem familias ab idoneis uocum antiquarum explanatoribus eam solam appellatam dicit, quae in mari-  
ti manu, mancipioque, aut in eius, in cuius maritus manu, mancipioq. esset: quoniam non in matrimo-  
niuim tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum uenisset. Eodem spectat illud Seruij  
in lib.

in lib. 7. Aen. Per coemptionem factō matrimonio, sibi inuicem succedebant. testari tamen arbitratū suo poterant. nam a tutoris potestate liberabatur, quae mater familias siebat. Quartum & ultimum de uidua matre familias, ostendit Vlpianus l. pronunciatum, 47. D. de uerb. sign. Matrem familias accipere debemus eam, quae non inhoneste uixit. matrem enim familias a ceteris feminis mores discernunt, atque separant. proinde nihil intererit, nupta sit, an uidua; ingenua, an libertina. & Cicero in oratione pro Coelio matrem familias Clodium uiduam uocat. De his opinor locutum Vatinium, neque cogitasse, an maritum haberent, uel peperissent, aut per coemptionem nupsissent, aut uiduae, ingenuae essent; sed tantum modo rationem habuisse honestatis earum, & auctoritatis. Sic oratione in Antonium: Ingenui pueri cum meritorij, scorta inter matres familias uersabantur. & 3. in eundem: Matres familias, uirgines, pueri ingenui abripiuntur. In Verrem quoque: Mitto adhibitam uim ingenuis, matres familias uiolatas. Nam, quod ait Gellius appellatam esse matrem familias eam solam, quae in mariti manu, mancipioque, aut in eius, in cuius maritus manu, mancipioq. esset: uerius fortasse, quam, Eam solam, dixisset, Eam proprie: ut ei cum Cicerone conueniret, qui duo genera matrum familiarum constituit in Topicis. Nisi ii iuris hereditarii Gellium, uel eos potius, quos Gellius fecutus est, rationem habuisse dicamus: quod ea sola, quae in manum conueniescit, marito mortuo heres esset: quae uero alter nupsissent, iure hereditatis excluderentur. Matres familias, & matres familiae, dicebant ueteres. familias autem, generandi casu: quia nomina, ut Plinius dubij sermonis lib. vi. admonuit, in a finita singulari nominatiuo, as syllaba declinabant, ut Maia Maias. Ideo Sallustius, amator priscæ lingue, dixit hist. lib. iv. Castella custodias thesaurorum in ditionem acciperentur. Quod ne celebraretur, Sisenna effect. ait enim, eum, qui diceret, patres familiae, etiam pluraliter dicere debere, patres familiarum, & matres familiarum. quod quoniam erat durum, & longe iniucundius, patrum familias, sonabat, etiam patri familias ut diceretur, consuetudo probavit, & tamen ratio Sisennæ non est ualida. nec enim necesse est, plura-lem numerum rei unitati adhibere. & Varro de scenis originibus primo & tertio libro dixit, matres familiae: & Gracchus, patres familiae, non familiarum. SIMVS, { deductum a simia, per contemptum. ep. 2. lib. 7. Hic simiolus, animi cauſa, me, in quem inuherentur, delegerat. Horatius in Serm. Neque simius iste. Simia quoque de homine dicebant. ep. 13. lib. 8. Illius simiae uultum subire. Afranius in Temerario: Quis hic est simia, qui me hodie ludificatus es. NON semissis, Semis, assis dimidium fuit: as autem, nummus aereus, quadrantes quattuor continens, homo igitur non semissis, minimi pretij, nibili aestimandus. similiter Persius Satyra v. Hic Dama est, non tres sis agaso: pro, tribus assibus non aestimatus. ACTIO, { actione legis: ut Actio furti, & similia. Libri ueteres, Actiones; unus Siganij, Actores. mihi uel, Actione, ut imprimi uolui, una littera s abiecta, uel, Actores, placet. nam, Actiones, uacare mendo non arbitror. SI APPIOS haberem, { si essem ea, qua Appius, impudentia. Ep. 8. lib. ix. Nostis os eius adolescentioris Academiae. In Verrem: Nostis os hominis. Pro Cluentio: Quod tandem os est illius patroni, qui ad eas cauſas sine ulla scientia iuris audet accedere? Interdum additur, durum, ut apud Terentium in Eun. ubi Donatus: Os durum, os impudens: ut contra mollis frontis dicuntur, qui sunt reuerentes. Et, quia ferro nihil est durius, propterea ferreum Pisonis os, ut insignem quandam notaret impudentiam, Cicero uocauit in oratione contra ipsum habita. Ap- pius hic, cui se successisse Vatinius dicit, non est is, ad quem sunt epistolæ lib. iii. qui bello ciuili, Pompeium secutus, iam perierat: ut auctor est Valerius lib. 1. cap. 6. Tvo discipulo, { declamabant nobiles adolescentes praesente Cicerone, ut eius praecepsis eruditrentur. ep. ult. lib. viii. Cassius tuus, & Dolabella noster studiis ijsdem tenentur, & meis acquisimis utuntur auribus. Et ep. 18. lib. ix. suos discipulos uocat Caesaris familiares. & in sexta eiusdem libri. CAESAR, { consul, idemq. dictator. IVSTITI- S SIMI, { ob numerum caesorum hostiū. Sic ep. 10. lib. 2. Victoria iusta imperator appellatus sum. & Phil. 14. Is demum est iustus, ac uerus triumphus, qui optime meritis de rep. defertur, ac datur. & Suetonius in Calig. Querens inter cetera, fraudatum se iusto triumpho. TRIUMPHI, { qui supplicationem fe- re sequebatur. ep. 15. lib. 2. IPSI, Dalmatae. POST supplicationes, { scripta, necdum missa, supe- riore epistola, certior factus de supplicationibus sibi decretis, in Dalmatiam, ut bellum conficeret, ita- stim profectus est, opida sex cepit. quo facto, eandem misit epistolam, quam per dies plures in manibus habuerat, ut aliquid de rebus a se post supplicationes gestis appingeret. VNUM hoc, { quod a me proxime relictum est. MEAM cauſam, { non iam ut supplicationes, quae decretæ fuerant, sed ut triumphum, quali confecto bello, conserueretur. triumphus autem illum triennio post, fasti Capitolini ostendunt. IN OMNES partes, { sic ad Marcellum, Valere in omnes partes, ep. 10. lib. iv.

### Argumentum ep. II.

**R**Eſpondens Vatinij litteris, quae non exſtant, ornat cum grati animi laude: ſua ſtudia pollicetur: uxori praefto futurum in omni re, ſignificat. In extrema epiftola rogar de Dionysio ſeruo: Dalmatis imprecatur. Eodem anno, aut qui proxime ſecutus est.

Cicero

**G**RATA tibi esse officia mea, non miror. cognoui  
Genim te gratissimum omnium; idq. numquam de  
stii praedicare. nec enim tu mibi gratiam modo ha-  
buisti, verum etiam cumulatissime retulisti. quamobrem  
reliquis tuis rebus omnibus pari me studio ergate, et  
eadem voluntate cognosces. Quod mibi feminam pri-  
mariam Pompeiam, uxorem tuam, commendas: cum  
Sura nostro statim, tuis litteris lectis, locutus sum, ut ei  
mei verbis diceret, ut, quidquid opus esset, mibi de-  
nunciaret; me omnia, quae ea ueller, summo studio,  
curaq. facturum: itaq. faciam: eamque, si opus esse uide-

bitur, ipse conueniam. tu tamen ei uelim scribas, ut  
nullam rem neque tam magnam, neque tam paruam  
putet, quae mihi aut difficultis, aut parum me digna ui-  
deatur. omnia, quae in tuis rebus agam, & non laboriosa  
mibi, & honesta uidebuntur. De Dionysio, si me amas,  
confer. quamcumque ei fidem dederis, praestabo. si uero  
improbis fuerit, ut est; duces eum captiuum in triun-  
pho. Dalmatis dij male faciant, qui tibi molesti sunt:  
sed, ut scribis, brevi capientur, & illustrabunt res tuas  
gestas: semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

### EXPLANATIO

**G**RATA tibi esse officia mea, non miror. ep. 20. lib. 10. Studia mea erga te, tibi tam grata esse, minime mi-  
ror, uchementerq. lactor. **S**URA cognomen uidetur aut liberti, aut etiam ciuis ingenui. nam  
& Lentulus ille Sura uocatus est, qui praetor in coniuratione Catilinac in carcere necatus est. & Lentuli  
Cruris mentio fit ep. 4. lib. 11X. **E**r. N O N laboriosa mihi, & honesta proxime dixit in eadem sen-  
tentia, Quae mihi aut difficultis, aut parum me digna uideatur. Similiter ep. 9. lib. v. Hoc eo pertinet,  
ut nihil existimat esse tam difficile, quod non pro te mihi suscepimus, iucundū sit futurum. **F**IDEM de-  
deris, } redire nolebat, poenae metu, Dionysius ad Ciceronem, a quo surreptis multis libris, aufugerat.  
ep. 77. lib. XIII. **I**MPROBVS } ut redire nolit. Ergo non erat Dionysius in potestate Vatinij. quod  
etiam confirmatur superioribus uersbis: Quamcumq. ei fidem dederis, praestabo. Allici enim eum condi-  
cionibus, ut ad se rediret, omnino Cicerō uolebat. conditionibus autem cum seruo cur ageretur, si esset  
in potestate Vatinij? **I**N. **T**RIVMPHO. } cum de triumpho, tamquam certa de re, loquatur; ap-  
paret, scriptam epistolam esse post supplicationes decretas. Triumphauit autem Vatinius post interitum  
Caesaris, oppressa rursus ab Octavianō rep. quod lapides Capitolini docent. **D**IJ male faciant, } sic  
ep. 21. lib. xi. Dijs isti Segulio male faciant. **M**OLES TI } quia nimium acriter resistunt. **V**T scri-  
bis, } dixi iam has Vatinij litteras, in quibus etiam uxorem suam Ciceroni commendauerat, perisse: ut  
alias quoque aliorum multas, quibus Cicerō respondet, perisse constat. **B**ELLICOSI. } Vardaeos  
quidem Italiae populatores, ut iam dixi, Plinius appellat. Bellaces, & Bellicosī, non ijdē sunt: cum pos-  
sint bellaces esse populi, idest bellorum gerendorum studio delectari, nec tamen bellicosī, idest in bellis ex-  
cellere. quorum uero fortitudo eminet, ij Bellicosī uocantur.

### Argumentum ep. 12.

**P**Etit a Luceo, historiarum scriptore, ut res a se in consulatu gestas litte-  
ris mandet, ut separato uolumine, ut statim, ut maiore cum laude, quam  
historiae leges, aut ueritas ipsa patiatur. Argumentum proponit, a princi-  
pio coniurationis Catilinac ad redditum suum ab exilio: in qua temporum  
uarietate summam inesse delectationē, tum rationibus ad probandum aptis,  
tum etiam Epaminondae, ac Themistoclis docet exemplo. Et, ut impetrat  
facilius, aucupatur eius gratiam laudacionis artificio. Denique, si non im-  
petret, ipsum de se, licet inuitum, scripturum esse significat. Est autem, si ni-  
miam laudis cupiditatē excipias, quo uitio nonnihil Cicero noster labora-  
uit, egregie scripta epistola, ut saepissime lectas atietatem tamen numquam  
afferat. ideoq. cum ad Att. scriberet, ep. 6. lib. 1 v. Epistolam, inquit, Luceo  
quam misi, qua, res meas ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas: ualde bel-  
la est.

la est. Lucceij responsio desideratur: respondisse tamen, ac pollicitum, uelle se roganti morem gerere, ex eadem ad Atticum epistola constat. ex qua etiam intelligitur, hanc esse scriptam Marcellino, & Philippo cos.

Cicero S. D. L. Lucceio Q.F.

12.

**C**ORAM me tecum eadem haec agere saepe co-  
nantem deterruit pudor quidam paene subrufi-  
cus: quae nunc expromam absens audacius: epistola enim  
non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut  
ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis  
illustretur, & celebretur tuis. quod et si mihi saepe ostendis  
esse facturum: tamen ignoscas uelim huic festinationi  
meae. genus enim scriptorum tuorum es et semper a  
me uehementer expectatum; tamen uicit opinionem me-  
am; meq. ita uel cepit, uel incendit, ut cuperem quam  
celerime res nostras monumentis commendari tuis. non  
enim me solum commemoratione posteritatis ad spem  
quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas,  
ut uel auctoritate testimonij tui, uel indicio beneuolen-  
tiae, uel suauitate ingenij uiui perfruamur. Neque tam-  
en, haec cum scribem, eram nescius, quantis oneri-  
bus premerere susceptarum rerum, & iam instituta-  
rum. sed, quia uidebam Italicu bellum, & civilis historiam  
iam paene a te esse perfectam; dixeras autem mihi, te  
reliquas res ordiri: deesse mihi nolui, quin te admonerem,  
ut cogitares, coniuncte ne malles cum ceteris rebus no-  
stra contexere, an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes  
Troicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numanti-  
num, qui omnes a perpetuis suis historijs ea, quae dixi,  
bella separauerunt; tu quoque item ciuilem coniuratio-  
nem ab hostilibus, externisq. bellis sciungeres. equidem  
ad nostram laudem non multum video interessere; sed ad  
properationem meam quiddam interest, non te exspe-  
ctare, dum ad locum uenias, ac statim caussam illam,  
totam, & tempus arripere. Et simul, si uno in argu-  
mento, unaq. in persona mens tua tota uersabitur; cerno  
iam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatoria fu-  
tura sint. Neque tamen ignoro, quam impudenter fa-  
ciam, qui primum tibi tantum oneris imponam, (potest  
enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut  
ornes me, postulem: quid, si illa tibi non tantopere ui-  
dentur ornanda? sed tamen, QVI semel uerecundiae  
fines transferit, eum bene, & nauiter oportet esse impu-  
dentem. itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut &  
ornes ea uehementius etiam, quam fortasse sentis, & in  
eo leges historiae negligas; gratiamq. illam, de qua sua  
uissime quodam in prooemio scripsisti, a qua te affici non  
magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophon  
tium illum a uoluptate, eas i me tibi uehementius com-  
mendabit, ne aspernere; amoriq. nostro plusculum etiam,  
quam concedit ueritas, largi. Quod si te adducemus,  
ut hoc suscipias: erit, ut mihi persuadeo, materies digna  
facultate, et copia tua. a principio enim coniurationis  
usque ad redditum nostrum uidetur mihi modicum quod-  
dam corpus confici posse. In quo & illa poteris uti ciu-  
lium commutationum scientia, uel in explicandis caussis  
rerum nouarum, uel in remedij incommodorum; cum  
& reprehendes ea, quae uituperanda duces; &, quae  
placebunt, exponendis rationibus comprobabis; &, si

liberius, ut consueisti, agendum putabis, multorum in nos  
persidiam, insidias, prodictionem notabis. multamerian  
casus nostri tibi uarietatem in scribendo suppeditabunt,  
plena cuiusdam uoluptatis, quae uehementer animos  
homini in legendu scripto retinere possit. NIHIL  
est enim aptius ad delectationem lectoris, quam tem-  
porum uarietates, fortunaeq. uiciis studines: quae etsi no-  
bis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendu ta-  
men erunt iucundae. HABET enim praeteriti do-  
loris secura recordatio delectationem; ceteris uero, nulla  
perfusis propria molestia, casus alienos sine ullo do-  
lore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda.  
Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam  
Examinandas non cum quadam miseratione delectat?  
quitum denique sibi auelli inbet spiculum, possea quam  
ei percunctanti dictum est, clypeum esse saluum: ut etiam  
in uulneris dolore aequo animo cum laude moreretur.  
Cuius studium in legendu non erectum Themistoclis fu-  
ga, redituq. retinetur? etenim ordo ipse annalium me-  
diocriter nos retinet quasi enumeratione fallorum: at  
uiri saepe excellentis ancipes, uarij q. casus habent ad  
mirationem, expectationem; laetitiam, molestiam, spem,  
timorem; si uero exitu notabili concluduntur, expletus  
animus iucundissimae lectiois uoluptate. quo mihi ac-  
ciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a conti-  
nentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum ge-  
storum historiam complecteris, secernas hanc quasi fa-  
bulam rerum, euenterorumq. nostrorum. habet enim ua-  
rios actus, multisq. actiones & consiliorum, & tempo-  
rum. Ac non uereor, ne assentati uncula quadam auxi-  
pari tuam gratiam uidear, cum hoc demonstrem, me a te  
potissimum ornari, celebrariq. uelle. neque enim tu is es,  
qui, quid, sis, nescias; & qui non eos magis, qui te non ad-  
mirentur, inuidos, quam eos, qui laudent, assentatores  
arbitrere. neque autem ego sum ita demens, ut me semi-  
ternae gloriae per eum commendari uelim, qui non ipse  
quoque in me commendando propriam ingenij gloriam  
consequatur. neque enim Alexander ille gratiae causa  
ab Apelle potissimum pingi, & a Lysippo singi uolebat,  
sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriae  
fore putabat. atque illi artifices, corporis simulacra igno-  
ris nota faciebant: quae uel si nulla sint, nihil sunt tamen  
obscuiores clari uiri. nec minus enim est Spartiates Ag-  
is filius ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam  
imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere la-  
borarunt. unus enim Xenophontis libellus in eo rege law-  
dando facile omnes imagines omnium, statuasq. supera-  
uit. Atque hoc praestantius mihi fuerit & ad laetitiam  
animi, & ad memoriae dignitatem, si in tua scripta per-  
uenero, quam si in ceterorum; quod non ingenium mihi  
solum suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti a  
Timaeo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auto-  
ritas clarissimi, & speciatissimi uiri, & in reip. maximis,  
grauissimeq. caussis cogniti, atque in primis probati: ut  
mihi

mibi non solum praeconium, quod, cum in Sigaeum uenisset, Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam graue testimonium impertitum clari hominis magni. uideatur. placet enim Hector ille mibi Naenianus, qui non tantum laudari se laetatur, sed addid etiam, a laudato uiro. Quod si te non impetro; hoc est, si qua teres impedierit: (neque enim fas esse arbitror, quidquam me roganem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulla saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo, & clarorum virorum. sed, quod te non fugit, haec sunt in hoc genere uitia: & uerecundius ipsi de se scribant, neceſſe est, si quid est laudandum; & præterea, si quid forte reprehendendum est. accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant uerecundiores esse præcones ludorum gymniconum, qui, cum ceteris coronas imposuerint uictoribus,

eorumq. nomina magna uoce pronunciarint, cum ipsi ante ludorum missione corona donentur, alium præconem adhibeant ne sua uoce ipsi se uictores esse prædicent. haec nos uitare cupimus, & si recipis cauſam nostram, uitabimus: idq. ut facias, rogamus. At, ne forte mirere, cur, cum mihi saepe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia, atque euentus litteris mandaturum, a te id nunc tantopere, & tam multis uerbis petanus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod alacres animo sumus, ut et ceteri, uiuēribus nobis, ex libris tuis nos cognoscant, & nosmet ipsi uiui gloria nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est moleſtum, reſcribas mihi uelim. si enim ſuſcipis cauſam: conficiam commentarios rerum omnium. ſin autem diſſeres me in tempore aliud, coram tecum loquar. tu interea nō ceſſabis; & ea, quae habes iſtituta, perpolies; nosq. diliges. Vale.

## EXPLANATIO

**L**. L U C C E I O } fortasse is est, de quo ſic in oratione pro Coelio: Habeo L. Lucceum, sanctissimum hominem, & sanctissimum, teſtem. Et ſubiungit: An ille uir, illa humanitate præditus, illis studijs, artibus, atque doctrina. &c. **C O R A M** metecum } petitionis impudentiam excusat, initio a modestia ſumptu. **C O N A N T E M** } ad res difficultes, quaeq. ad exitum non perducantur, hoc uerbum adiungitur. **P A E N E** ſubruficuſ: } eſt enim, quatenus pudor deceat. nullus improbitatem aut ſtultiſtia, nimius agreſte quiddam indicat. **T V I S:** } animaduertenda numeri ſuauitas ex iambo poſt ſpondeum ſententiam claudente, ut paullo poſt, Commandari tuis. **V I C I T** opinionem mean; } hoc induxit callide, ad benevolentiam colligendam. **A V C T O R I T A T E** } quod eſſet Lucceius in reip. maximis, grauiſſimisq. cauſis cognitus, atque in primis probatus. infra. **V I V I** } in extrema epiftola. Ut noſmet ipsi uiui gloriola nostra perfruamur. **I T A L I C I** } Marsi, uel ſocialis. tribus enim modis appellatur illud bellum, quod cum ſocijs Italicis, indignantibus ciuitate ſe, lege Licinia & Mucia, eſſe extruſos, uaria diu fortuna, & periculoſo euentu geſtum eſt. quamquam Cicero lib. 2. de Off. metu iudiciorum excitatum oſtentit. ſed fortasse utrumque fuit. priui quidem Marsi, unde Marsi belli nomen fluxit, Iulio, & Rutilio cos. arma ſumpferunt. ſolus, confeſto bello, triumphauit de Asculanis, & Picentibus consul Cn. Pompeius Strabo, Magni pater. **C I V I L I S** } quo resp. uictis Marij partibus, ad unius arbitrium L. Sullae tranſlata eſt. **C A L L I S T H E N E S** } Olynthi natus, Aristoteles diſcipulus, comes Alexandri Magni bello Perfico, cuius etiam res geſtas litteris mandauit. imperfectus ab eo, uel quia, more Perfico, diuino cultu uenerandum non censuerit, uel quod in eum cum alijs coniurasse putaretur. **T I M A E V S** } Duo Timaei memorantur, hic quidem Siculus historicus, quem ualde Cicero laudat lib. 2. de Orat. Plutarchus in Nicia reprehendit: alter, philoſophus Pythagoreus, Locris natus, cuius nomine Plato librum De natura inſcripsit. **P Y R R H I**, } Epirotarum regis, qui cum Romanis in Italia bellum geſſit. Plutarchus, Trogus lib. xvii. Eius bella Timaeus propria complexus eſt historia. **Tιμαίος**, inquit Dionysius lib. 1. Antiq. Σικελίων ταῦτα ἀγχοῖα Ρωμαῖοι ἐν ταῖς κοινοῖς ἴσογλως ἀφηγουμένει, ταῦτα δὲ πρὸς Πύρρον τὸν ὑπαγόντων πολέμου εἰς Ιδιαν καταχώσαντος πραγματίαν. **P O L Y B I V S** } praeceptor, & comes Africani minoris, cuius historiae pars aliqua ad nostram aetatem peruenit. **N U M A N T I N U M**, } Numantiam Scipio Aemilianus, annis 14. poſt Carthaginem, excidit. Velleius, Appianus, alij. **C O N I U R A T I O N E M** } faciam ipſo conſule a duobus maxime patricijs, L. Sergio Catilina prætorio, P. Cornelio Lentulo, conſulari, & prætore iterum. **C A V S S A M** totam, } quidquid ad eam coniurationem pertinet, & cum ea coniunctum eſt. **V N O** in arguimento, } ſcire non inutile eſt, quid in problemate ſcripſerit Aristoteles, cuius initium eſt, διατίποτε Ρωμαῖοι ἔδιον αὐτόν τοις περὶ εἰσισχυρῶν, ὃ τῶν περὶ πολλὰ πραγμάτων γέγονεν. **V N A** in persona } in ipſo tantum Cicero, coniurationis uindice. **V B E R I O R A**, atque ornatoria } quod ad ſcriptoris quoque laudem pertinet. commendat enim historiam uehementer copia rerum, & uerborum ornatus. **S E M B L** } in eo, quod tibi occupatissimo tantum oneris imponā. **B E N E**, } ualde: ut, Bene mane, Bene doctus. **N A V I T E R** } ſtrenue, in eo ſciliſet, quia poſtuleſt, ut ornetur. **L E G E S** historiae } tres historiae leges Cicero ipſe commemorat lib. 2. de Orat. primā, ne quid falſe dicere audeamus; alteram, ne quid ueru non audeamus; tertiam, ne qua ſuſpicio gratiae ſit, ne qua ſimilitatis, ex his legibus tertia hic ſignificatur, ut ſequentia declarant. **Q V O D A M** in prooemio } varie prooemij ueteres historici uſi ſunt, teſte Luciano in libro de historia conſcribenda: apud Latinos quidem Liuſus & paucis, & breuibus, Sallustius pluribus, & longioribus: apud Græcos autem, ut lib. xvi. auctor eſt Diodorus Siculus, Ephorus ſingulis libris ſingula prooemia proposuit. **A F F I C I** } commoneſti: afficit autem gratia, cum nos ad eam, quam ratio non probat, uoluntatem perducit. quamquam interdum bona de re uſurpat hoc uerbum, & absolute, nullo caſu, ut ep. 6. lib. xvi. Varie ſum affectus tuis  
Cc litteris,

litteris, ualde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus. Legunt alij, Flecti; alij, Allici. Suum cuique arbitrium relinquo. ego non video, cur quatuordecim ueterum librorum, in quibus est, Allici, consensum aspernari debeam: cum praeferim nec in sententia, nec in loquendi genere uitij quidquam esse uideatur. HERCULEM Xenophontium } de quo scribit Xenophon lib. 2. Memorabilem, & Cicero lib. 1. de Off. his uerbis; Herculem Prodigus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad diligendum, quam quisque uiam uiuendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum multumq. dubitasse, cum duas cerneret vias, unam uoluptatis, alteram uirtutis, utram ingredi melius esset. Idem de Prodigio Suidas. A. PRINCIPPIO coniuratio-  
nis usque ad redditum } a consulatu Ciceronis, quo patefacta coniuratio est, & consulatu Lentuli, & Ne-  
potis, quo redit ab exilio: quod integri quinquenni spatum fuit. SCIENTIA, } quam tenes, &  
quam tua cum laude ostendes uel in explicandis causis rerum nouarum, uel in remedijs incommodeorum.  
CASVIS rerum nouarum, } sumptibus nimis, imperij immoderati, ac licentiae cupiditate: quae Sal-  
lustius persequitur. REMEDIIS } quae ciuilibus malis adhiberi possunt, quaeq. Cicero ipse consul adhibuit. PERFIDIAM, } saepe fidem hominum accusat in epistolis ad Att. ad Q. Fratrem, ad  
Lentulum: nominatim uero se destitutum, & inductum queritur a Pompeio, qui se numquam ei defu-  
rum iurauerat, & ab Hortensio, Catone, Arrio. CASVS nostri } calamitates, quas ob patriam eon-  
iuratorum insidijs creptam pertulit. VARIETATEM } quia uaria fortuna sum usus: cum a summa  
dignitate ad ultimas miserias inimicorum me detruserit iniuria: rursusq. in patriam eximio cum honore,  
expeditus ab omnibus, redierim. HABET enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem; } quod  
in prouerbium abiit. unde lib. 2. de Fin. contra Epicureos, Quid si etiā, inquit, iucunda memoria est praे-  
teriorum malorum? Ut prouerbia nonnulla ueriora sint, quam uestra dogmata. uulgo enim dicitur, in-  
cunde acti labores. unde Virgilius: Forsan & haec olim meminisse iuvabit. Nec male Euripides:

Suauis est laborum praeceptorum memoria. Graecus autem uerus hic est:  
Αλλ' οὐδὲ τὸν σωθεῖτα μερινόθαυ πόνων.

CASVS alienos sine ullo dolore intuentibus,

Lucretius: Suaue, mari magno turbantibus aequora uentis,  
E terra magnum alterius spectare laborem. MANTINEAM } urbem Arcadiae,  
nobilitatam clade Lacedaemoniorum, & uictoria Epaminondae, Thebanorum ducis. Aemilius Probus,  
Iustinus lib. vi. Strabo lib. lxx. EPAMINONAS } quem summum ducem exterarum gentium u-  
detur Cicero iudicare lib. 1. de Oratore, cum ait: Vterer exemplis Africanorum, & Maximorum: Epami-  
nondam, atque Hannibalem nominarem. & lib. lxx. Pythagoreus ille Lysis Thebanum Epaminondam, haud  
scio, an summu uirum unum omnis Graeciae. NON. CVM quadam miseratione delectat? cum ex illius in-  
teritu miseratio, ex animi autem magnitudine constantia oriatur. Tusc. i. Quam me delectat Theramenes,  
quamq. elato animo est? etiā enim slemus, cum legimus; tamen nō miserabiliter uir clarus emoritur. CLYPEUM esse saluum: } aliter Probus in eius uita, cuius uerba recitabo. Epaminondas, inquit, cū animaduertere,  
mortiferū se uulnus accepisse, simulq. si ferrū, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animā statim  
amissum, usque eo retinuit, quod renuciatum est, uicisse Bocotios. id postquam audiuit, satis, inquit, uiai;  
iuictus enim morior. Cicero lib. 2. de Fin. & de clypeo, & de uictoria percunctatum Epaminondam ostendit. Cum uicisset, inquit, Lacedaemonios apud Mantineam, simulq. ipse graui uulnere examinari se uideret,  
ut primum despexit, quae si uita, saluus ne esset clypeus: cum saluum esse flentes sui respondissent, ro-  
gauit, esent ne fusi hostes: cumq. id quoque, ut cupiebat, audisset, euelli iussit eam, qua erat transfixus,  
hastam. ita, multo sanguine profuso, in lactitia, & in uictoria est mortuus. Clypeum ἀπὸ τῆς κλέπτης,  
quia corpus celet, appellatum Seruius ait: Plinius ἀπὸ γλυπτοῦ, id est a sculpendo: & irridet grammaticos,  
qui deducerent a cluendo. Trebellius Pollio in Claudij uita uidetur existimasse, ex grammaticorum  
sententia, dicendum, clypeum, non, clypeus: ut ait: Illi clypeus aureus, uel, ut grammatici loquuntur,  
clypeum aureum senatus totius iudicio in Romana curia collocatum est. Verum omnes poetae semper cly-  
peus, numquam clypeum, dixerunt. quod si de soluta oratione grammatici illi loquebantur, ne id quidem  
concedi potest, ut recitata proxime Ciceronis uerba declarant. THEMISTOCLES } huius uitam  
Aemilius Probus, & Plutarchus exponunt. FUGA, } fugit ad Artaxersem, Persarum regem, ueritus  
iram Atheniensium, quibus in suspicionem uenerat initae cum Persarum rege contra Graeciam societas.  
REDITUS } redditum Themistoclis post fugam non inuenio. forte secutus est Cicero annales, quos neque  
Plutarchus, neque Probus uiderint, aut quibus habendam fidem non putarint: quando & de interitu eius  
aliter alios existimasse, in Bruto legimus. Memini, cum homo ingeniosus, industriaq. excellens, familia-  
ris meus, Hieronymus Ferrarius, cui mortuo bene sit, legendum opinabatur, Interitu, pro Reditu. quae  
coniectura, etiā dissentit ab antiquis libris, tamen, quia cum sententia congruit, praetermittenda non fuit.  
ORDO ipse armatum } quo quasi filo perpetua texitur historia. MEDIOCRI TER? non multum.  
uiri autem excellentis ancipites, uarij. casus non mediocriter, id est multum retainent. se ipsum alienis  
designat exemplis. RETINET delectat. retineri enim uidetur, qui libenter legit. Eodem modo uerbum  
Capitor ad delectationem transfertur. QVASI enumeratione fastorum: } ut fasti delectant, enum-  
randis rebus, quae singulis diebus agantur. unde Ouidius Fastos inscripsit libros suos. EXITY nota-  
bili } ut notabilis fuit eius in patriam redditus, post exsilio calamitatem. QVO mihi acciderit optatus, }  
modus loquendi, pro, Quam ob causam mihi acciderit optatus. tale illud lib. 1. de Orat. Stultitia ex-  
culationem non habet: quia nemo uidetur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisset. quo  
etiam grauius iudicium in dicendo subimus. QVASI fabulam } fabulam noçat, non quia fictae fum-

res,

res, sed quia, tamquam fabula, uarios actus habeat. Et consiliorum, & temporum. 3 quaedam enim actiones consilijs hominum proprie tribuuntur, quaedam temporibus potius, quam consilijs. Non nereor, ne uidear aucupari 3 hoc dicit, certe me non putas aucupari gratiam tuam a sententiuncula quadam: cum ipse te optime noueris. NEQUE autem ego sum ita demens, 3 essem autem demens, si laudari uellem ab eo, qui non ipse propriam in me laudando ingenij gloriam consequeretur. laudari enim ab eo uelle, qui careat ingenio, dementis est. itaque me tibi a sententiari, non est cur existimes: neque id sane tibi in mentem uenire arbitror. ILLI 3 de celeberrimis uiris, & apud omnes fama cognitis, hoc pronomen usurpamus, ut de Agesilao infra: Alexandro autem quis maiorem nominis celebritatem consecutus? qui paucis annis & Darium, ultimum Persarum regem, & Oceano tenus omnia superauit, prolatis ab angulo Thraciae ad extreum orientem imperij terminis. APELLE 3 pingendi laude omnium clarissimo. LYSIPPO 3 unde Horatius ep. 1. lib. 2.

Edicto uetuit, ne quis se, praeter Apellem.

Pingeret, aut alius Lyssippo diceret aera,

Fortis Alexandri uultum simulantia.

Addit Plinius lib. XXXVII. cap. 1. cundem Alexan-

drum uetus esse edito, in gemma se ab alio scalpi, quam a Pyrgotele, eius artis clarissimo. Tres uero hos artifices, & editum Alexandri simul nominat lib. vii. cap. 37. Appuleius autem lib. i. Florid. Polycletum, non Lyssippum, ait fuisse, qui Alexandrum aere duxit. CORPORIS simulacra 3 simulacrum, & imago sunt idem, ab effigie quiddam differunt. idem esse, indicat id, quod sequitur infra: Qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse. nam simulacra iam uocauerat Cicero, pictam ab Apelle, fictam a Lyssippo imaginem Alexandri. sunt igitur simulacra, & imagines, quae pinguntur, & quae singuntur: effigies autem, contra Vallae sententiam, est, quae singitur, non quae pingitur: quod ipsum nomen arguit. & Cicero Tusc. 2, cum dixit, Eminentem effigiem uirtutis, ad ficta opera spectauit: cum uero subiunxit, Adumbratam imaginem gloriae, ad picturam: non quod imago tantum pictura sit, sed quod, cum uocabulum generale sit omnium similitudinum, picturam quoque complectitur. effigies autem uel solida est, ut signum, & statua; uel expressa, ut caelatum opus, & quae in cera, anulo impresto, effingitur imago. latiorem igitur significationem habet simulacrum, aut imago, quam effigies. nec necesse est, ut, simulacrum, qui dicit, aut imago, addat, effigies; cum & simulacrum, & imago similitudines omnes comprehendant: itaque statuam Ennij, quam lib. XXXIX. Luius nominat, Valerius Max. lib. IIx. cap. 15. uocat effigiem: qui uero, effigies, dicit, interdum addit, simulacrum, aut, imago, quasi explanandi gratia, non quod re uera idem sint: ut Cicero in Verrem: Effigies, & simulacrum alicuius. & lib. i. de Nat. de. Effigies hominis, & imago deus. A parte enim transimus ad totum, non a toto ad partem. IGNOTIS nota faciebant: 3 Ignotis, posuit, non pro ijs, qui ignorarentur, sed qui ignorarent illa simulacra: ut id, quod patitur, accipiatur pro eo, quod agit: antiquae: nam & Plautus in Pseudolo: Noui: notis praedicas. pro, ijs, qui nouerunt. Et noster in oratione pro Coelio: De dignitate, Coelius notis, ac maioribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus facile ipse respondet. Et in Verr. lib. vi. Luius lib. III. Notos gratia eorum, turbam indignitas rei uirginis conciliat. Et Curtius: Ignoti iumenta agebant. NIHIL sunt tamen obscuriores clari uiri. 3 hoc tum ad aliorum, uirtute praestantium, tum suam etiam ad laudem scriptit. claritatem inquit, & splendorem a mutis imaginibus uirtus non accipit, sed ingenij monumentis celebrata immortalem famam consequitur. hoc Agesilao contigit, quem Xenophon laudibus extulit. hoc & de me ipso futurum confido, si in tua scripta peruenero. Obscuriores, clari uiri: nota contraria. sic ep. 5. lib. 2. obscuro sermoni clarissimam uocem opposuit. SPARTIATES 3 Spartanus. a Gracco Σπαρτιάτες. nomina ita desinent patriam significant. & Spartiata, idem erat: nam utroque modo dicitur: ut Tegeates, Tegetata; Eleates, Eleata; Crotoniates, Crotontia. AGESILAUS ille 3 eorum, qui Spartae regnarunt, tum alijs uirtutibus, tum bellicae rei scientia praestantissimus. PERHIBENDVS, 3 Perhiberi dicitur id, de quo omnes consentiunt. Non minus perhibendus est Agesilau, ualeat, non minore hominum consenuit celebrandus. Tusc. i. Tyndaridae fratres uictoriae populi Romani nuncij fuisse perhibentur. NEQUE pictam, neque fictam 3 ut Alexandri pinxerat imaginem Apelles, sinixerat Lyssippus. Agesilau ita sensit, non quod esset claudus, & breui corpore, ut apud Acemilium Probum, Athenaeum lib. 14. Dionē Chrysostomum in oratione Corinthiaca scriptum est; sed quod memorie perpetuitatem a uirtute potius, quam ab imagine corporis, exspectandam duceret. qua de re Xenophontis praeclara uerba recitabo: Τὸν μὲν σώματος ἄνοια τῆσεν θεῖ, απέσχετο, πλάνων δύτη τότε διαστήθεισα θελόντων: τὸν δὲ Φυχύν εὐδέποτε εἴπαντο μηδα διαπούμενος: οὐδέπου τὸ μὲν αἰδηγούστοιων, τὸ δὲ ἀντρέεργον ἔναι, καὶ τὸ μὲν πλεστῶν, τὸ δὲ των αἰγαλῶν. VNVS enim Xenophontis libellus 3 qui exstat, de Agesilau labibis ita scriptus, ut imaginem animi, atque ingenij, omni praestantiorem imagine corporis mirabiliter exprimat. Quem uero libellum appellat Cicero, tempori seruens, cundem Themistius in oratione, qua Caesaris gratias agit, longum librum uocat, & ab eo scriptū ait, ut Agesilau gratiam referret, quod eius opera a Spartanis agro donatus esset. Videndum Xenophon lib. v. αἰδηγάτεων, Pausanias in Eliacis lib. i. IMAGINES omnium, statuasq. superauit. 3 cum de statuis etiam imago dicatur; linc causa, statuas, uidetur addidisse. uerū addidit, quia proxime non de omni, sed de picta tantum, & ficta imagine locutus erat: nec eo genere statuae omnes comprehenduntur: sunt enim non modo fictae, id est acneae, ut Alexandri statua a Lyssippo facta, & Sp. Cassij, quam Plinius lib. XXXIV. cap. 6. nominat; uerum etiam marmoreae, quae scalpuntur. ut igitur Xenophontis librum omnibus omnium simulacris Cicero praeferret; marmorea etiam opera, quae antea non nominauerat, pictis, &

factis adiunxit. *Omnis omnium*: cum lepore. ut ep. 32, lib. v i i. *Omnia omnium dicta in me conferri.*  
Et pro Milone: *Omnibus omnia minabatur*. Catullus de Lesbia:

*Omnibus una omnes surripuit ueneres.*

**T**IMOLOENTI? Corinthio, cuius res gestas Timaeus exposuit. uitam eius, ab Aemilio Probo, & Plutarcho scriptam, habemus. Timaei scripta perierunt. **H**ERODOTUS, qui nouem libros Musarum nominibus inscripsit; & in corum septimo, & octavo, quorum alteri Polymniae, alteri Uraniae nomen est, Themistoclis uirtutem, & prudentiam, singularem ostendit. Parentem historiac lib. i. de leg. Cicero uocat, quia princeps historiam ornauerat, ut idem Cicero ait lib. 2. de Orat. **S**IGAEVUM? Troiae promontorium. **D**IXIT, his uerbis: *O fortunate adolescens, qui tuae uirtutis Homerum praeconem inuenieris. In oratione pro Archia, & Plutarchus in uita.* **N**AEVIANVS, apud Naevium poetam. **A**LAVDATO uiro, abs te, pater, laudato uiro. alloquebatur enim patrem Hector apud Naevium, ut ex ep. 6. lib. xv. cognoscitur. **Q**UOD nonnulli saepe reprehendunt: itaque prouerbio reprehenditur, Te ipsum laudas, tamquam Astydamas. **M**ULTORVM exemplo, L. Sulla Commentariorum libros **xxii.** ut auctor est Plutarchus, composuit de rebus suis. **M**Scarus, ille princeps senatus, tres libros de uita ipsius acta perscrispit, quos memorat Cicero in Bruto, & Tacitus in Agricolae, socii sui, uita, eiusdem Scauri aequalis, & inimicus, P. Rutilius uitam suam litteris mandauit, forsitan aemulatione permotus. Hos maxime, & alios quoque Cicero significat. **V**ERE CVNDIVS ipsi de se se scribant, Impeditum se ipsum laudare, dixit Caecina in epistola ad Ciceronem. **P**RAECONES ludorum gymnicorum, praecones in ludis gymnici erant poetae Melici, qualis fuit Pindarus, & alij, qui lyra, & cantu certatum Olympioniarum laudes, & praeclara facta celebrabant. ex magno autem poetarum numero, qui ceteris ingenio praestitisse putabantur, is & Olympionici coronam imponebat; cum tamen eius patriam, non eum, coronari pronunciaret; & ipse, tamquam poetico certamine uictor, ab alio poeta, cum laudante, coronabatur. Plinius lib. xvi. cap. 4. Ludi autem gymnici erant, in quibus nudi exercebantur, apud urbes Graeciae, Elidem, & Pisias. eadem Olympia certamina uocabantur. nam, quae Pisae, Olimpia postea appellata. Nudi autem certabant, ut apud Pollucem scriptum est, lucta, cursu, pugillatione, disco, saltu. Vide Plutarchum *πρεξίτες εαυτούς αγεπίζοντες επανεῖν*. Horum ludorum inuentorem Academ Lycaonem Plinius nominat lib. vii. cap. 56. **C**ETERIS uictoribus, Olympionicis, qui non a quo uis poeta, sed a uictore coronabantur. Ceteris, igitur dixit, quia ipsi quoque praecones, quos fuisse poetas diximus, uictores erant, itaque post ludorum missionem corona donabantur. **C**ORONAS oleastri. Plinius lib. xv. cap. 4. & lib. xvi. cap. 44. & Plutarchus in Catone. **S**E. **V**ICTORES esse? praeconum quoque certamen fuisse, tum ex hoc admonemur loco, tum ex Pausania, cuius sunt uerba Eliac. *Σχληπικυταῖς δὲ ἐφεγγυότου ἀντῷ, καὶ τοῖς κέρνυξιν ἀγωνίσθαι νοθέσηνε.* **A**LACRES animos sumus, plus omnino significavit, quam si, cupimus, aut aliiquid simile, dixisset. nam in alacritate index laetitiae motus inest. **S**VSCIPIS caussam, saepe iam dixi, Caussam pro eo, quod agitur, usurpari. **C**OMMENTARIOS, perpetuam, ac diligentem, nullis ingenij luminibus distinctam. rerum narrationem, commentarij enim dicuntur, qui materiam historiae praebeant. In Bruto, de Caesaris commentarijs: Nudi sunt, recti, & uenusti, omni ornato orationis tamquam ueste detraeta: sed, dum uoluit alios habere parata, unde sumerent, qui uellent scribere historiam; ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris iniurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit.

### Argumentum ep. 13.

**C**iceronem in obitu filiae Lucceius litteris consolatus erat. eae litterat quantum profecerint, & simul quam omnis recuperandae reip. spes amissa sit, haec epistola demonstrat. Caesare iv. consule, sine collega.

**C**icero S. D. Lucceio: 13.

**Q**UAM QVAM ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est; declarat enim summam benevolentiam coniunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex ijs litteris uel maximum cepi, quod te praeclareres humanas contemnentem, & optimè contra fortunam paratum, armatumq. cognoui. quā quidem laudem sapientiae statu esse maximam, Non aliunde pendere, nee extrinsecus aut benz, aut male uiuendi suspensas habere rationes. quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset, (etenim penitus infederat) u

tamen tempestatum, & concursu calamitatum erat aliquantum labefactata, atque conuulta: cuite opirulari & video, & id fecisse etiam proximis litteris, multumque prosecuisse sentio. itaque hoc saepius dicendum, nihil non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius. *Ad* consolandum autem cum illa ualent, quae eleganter, copioseq. collegisti; tum nihil plus, quam quod firmi uicinem, grauitatemq. animi tui perspexi, quam non imitari, turpissimum existimo. itaque hoc etiam fortior emmuto,

puto, quam te ipsum praceptorum fortitudinis, quod tu mihi uideris spem non nullam habere, haec aliquando futura meliora: casus enim gladiatoriū, similitudinesq. eae, tum rationes in ea disputatione a te collectae, uerabant me reip. penitus diffidere. itaque alterum minus mirum, fortiorē te esse, cum aliquid speres; alterum mirum, spe illa teneri. quid est enim non ita affectum, ut id non deletum, exstinctumq. omne esse fateare? circumspice omnia membra reip. quae notissima sunt tibi: nullum reperies profecto, quod non fractum, debilitatum uexit. quae persequeret, si aut melius ea uiderem, quam tu uides; aut commemorare possem sine dolore. quamquam tuis monitis, praceptisq. omnis est abiūciendus dolor. ergo & domestica feremus, ut censes, & publica paullo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui praecepis. te enim spes aliqua consolatur, ut scribis; nos autem erimus etiam in omni desperatione fortes, ut tu

tamen idem & hortaris, & praecepis. das enim mihi iucundas recordationes conscientiae nostrae, rerumq. earum, quas, te in primis auctore, gessumus. praefitimus enim patriae non minus certe, quam debuimus, plus profecto, quam est ab animo cuiusquam, aut consilio hominis postulatum. Ignoscet mihi de me ipso aliquid praedicanti. quarum enim tu rerum cogitatione nos leuare aegritudine uoluisti, earum etiam commemoratione lenimur. itaque, ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestijs, & angoribus abducam; transferamq. animum ad ea, quibus secundares ornantur, aduersae adiuuantur: tecumq. & ero tantum, quantum patietur utrinque aetas, & ualeudo; & si esse una minus poterimus, quam uolemus, animorum tamen coniunctione, iisdem studijs ita fruemur, ut numquam non una esse uideamur. Vale.

## EXPLANATIO

**B**ENEVENTIAM, quae ipsa per se ualeat ad consolandum; coniuncta uero pari prudentia, multo plus. **P**ARI prudentia: rationibus ad leuandum curas accommodatis. **N**ON aliunde pendere, quod perfectae uirtutis est: sine qua fortunam quotidie cogimur timere. aliunde igitur pendet, qui extrinsecus, idest ab ipsa fortuna, exspectat omnia. Haec tota sententia ex Platonis Epitaphio sumpta est. Οταγας αδριας εκυτον αν, τηται παντα τα προς ενδεικονια φέροντα, ηγγυς τέτο, και μη εν αλλοις αρχηποισ αιωνεται, εξ ον μεν, η καινως πραξιτων πλανοθαι μνάγκασαι και τα εκεινα, τέτω ασια παρεσκευασαι ελω. **A**vit bene, aut male? fortunae enim arbitrio uel beatam uitam, uel miseram exspectat, qui uirtute caret. **S**VSPENSAS, minime firmas. incerta enim sunt, quae in fortuna ponuntur. Praeclare in hanc sententiam pronunciauit illa Cicero in Paradoxo 11. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex se, quiq. in se uno sua ponit omnia, cui autem spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihilq. quod exploratum habeat permansurum sibi ne unum quidem diem. **T**EMPESTATVM, aduersa tempora Tempestates uocat, translatione usus, ut ep. 3. lib. iv. Multo ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram. Cum, inquit, ego quoque fortunae uim contemnerem, praesidij satis esse ad omnes casus in una uirtute existimarem; ab hac tamen sententia, temporibus uexatus, prope descueram: sed me labantem confirmarunt litterae tuae. **C**ONCVRSV, concurrentibus in me calamitatibus, suoq. impetu insitam illam opinionem non omnino quidem, sed aliquantum labefactantibus, atque conuellentibus. **C**ONVVLSA: metaphorae conclusio: quam in uerbo, Excidisset, institutam, uerbis deinde similibus exceptam, & ad exitum sententiae conseruatam uidemus. Conuellere autem plus aliquanto significat, quam labefactare. nam labefactare mouere est, non amouere, & auferre: conuellere uero, ita mouere, ut separatio sequatur. itaque seorsum, quasi diuersa, ponuntur in oratione pro Cuentio: Si quam opinionem iam uestris mentibus comprehendistis, si eam ratio conuelleret, si ratio labefactabit. & lib. 2. de Oratore: Ne conuellere adoriamur ea, quae non possint commoueri. **P**ROXIMIS litteris, binis igitur litteris Ciceronem Luceius consolatus erat. nam de posterioribus in eo significat, Cui te opitulari video. de prioribus, cum ait: Et id fecisse etiam proximis litteris, multumq. profecisse sentio. **S**ED etiam declarandum: potest enim obscura esse significatio, cum non omnia signa perspicue demonstrent; declaratio non potest. Pro Milone: Si umquam locus amplissimorum uirorum delectis uiris datus est, ubi sua studia erga bonos, & fortis ciues, quae uultu, & uerbis saepe significassent, re, & sententijs declararent. **I**T A Q U E, quiddam accederet ad sententiam, si legeretur, Atque. nec tamen, Itaque, reijcio, praescerit ab antiquis libis comprobatum. **H**AEG aliquando futura meliora: hic locus ostendit, Luccij consolationem adhibitam esse non ad eam tantum sollicitudinem, quam ex obitu filiae Cicero capiebat, sed ad maerorem etiam ex reip. pernicie suscepimus. idemq. confirmatur infra, in eo loco: Et domestica feremus, ut censes, & publica paulo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui praecepis. **C**ASVS gladiatoriū, gladiatorum similitudine Luccius probare studuerat, non esse penitus de rep. desperandum: cum saepe, qui iam uictus ab aduersario gladiator uidetur, is ita conualeat, ut uiatorum prosternat. **V**ETABANT, non quod re uera proficerent, sed co spectabant, ut ad aliquam spem traduceret. ex quo uidebam, te aliqua spe terri: cum ego prorsus desperem. **C**VM aliquid speres, cum ego nihil sperem; & qui nulla spe tenetur, cum esse fortem quis non miretur? **I**T A effectum, eo calamitatis, & miseriae redactum. **F**RACTVM, debilitatum ue, ut enim integris firmitas, ita fractis debilitas inest. sic ep. 9. lib. 1. In te potissimum fractam illam, & debilitatam uin suam contulit. Pro Flacco: Quae urbs auctoritate tanta est, ut iam fractum prope, ac debilitatum Graeciae nomen huius urbis laude nitatur. De Orat. lib. 1. Adolescentulus sic in initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Max. debuerim, quod consilium

continuo

continuo omiserit, simul ac me fructum, ac debilitatum metu uiderit. **M**ONITIS, } tantam apud se ei-  
se Luccij auctoritatem ostendit, ut, quamquam de rep. prorsus actum putet, dolorem tamen, eo monen-  
te, & p̄ recipiente, abiicerē decreuerit. **D**OMESTICAS } interitum filiae. **S**PES aliqua } ob ratio-  
nes a te collectas, maximeq. ob gladiatoriis casus. **V**T. **T**V tamen idem } adductis iam rationibus ad  
aliquam sublenandae recip. spem accommodatis, ad illam postremo consolationem Luccius confugerat, ut  
diceret, uel in summa desperatione fortitudinem tamen esse Ciceroni praecipue retinendam. cur enim: qui  
maximas res, aduersis patriae temporibus fortissime gesserit, idem non perpetuo se sui similem, idest for-  
tem, constantemq. praebat? **C**ONSIENTIAE } quod est maximum solatum in malis. ep. 3. lib. iv.  
Multa me consolantur, maximeq. conscientia consiliorum meorum. & ep. 1. lib. vi. **T**E autore, } con-  
silio tuo. **G**ESSIMVS, } Catilinae tempora significat. tunc enim maxime virtus Ciceronis enuit: &  
eas saepe res gloriose commemorat. **A**B animo cuiusquam, aut consilio } in optimanda coniuratione  
non animi tantum, sed consilij quoque praestantia opus fuit. ideo coniungit utrumque in ep. 7. cum ait:  
Quae, cum ueneris, tanto consilio, tantaq. animi magnitudine gesta esse cognosces. **A**L IQV ID } quid  
amplius potuit? Nimirum haud paullo plus, quam satis est, audior gloriae fuit Cicero noster: quod ipse  
ad Dolabellam scribens, ep. 14. lib. ix. ingenuè confessus est. nos autem amemus ingenium, & imitemur,  
quantum licet, eloquentiam, cuius in illo praefantissimum habemus exemplum: si qua tantis uirtutibus  
adspersa labes fuit, ut est saepe nacus aliquis in pulcherrimo corpore, dissimilemus potius, quam repre-  
hendamus. **A**D. **E**A, } ad illa praeclara philosophiac studia, quae maxime post euersem remp. coluit:  
quod eius indicant scripta, de Officijs, de Finibus, Tusculanae disputationes, & alia. **S**ECUNDABE  
res ornantur, } quia philosophiac praeceptis ita nos gerimus in secunda fortuna, ut ab omnibus temperan-  
tiae laudem conseqnamur. **A**DIVVANTVR, } tum quia philosophiae tractatio ita delectat, ut a ceter-  
is molestijs animum abducat: tum etiam, quia, quod absit a culpa, non esse malum persuadet, ideoq.  
nec magnopere dolendum. Laudat eadem studia in ep. 3. lib. iv. & ep. 12. lib. vi. & ep. 2. 3. lib. ix. & alibi  
saepe. **I**ISDEM studijs } sic malo, ut est in duobus antiquis libris, quam, ut in duodecim, Iisdemq. stu-  
dijs, copulam non uideo necessariam esse, & additam suspicor eoniectura, quod illud, Animorum con-  
iunctione, ad uerbum, Fruemur, referendum uideretur: cum a se ipso potius regatur, ut fit: ideo sum  
esse uidebimur, quia fruemur iisdem studijs, animis coniunctis.

## Argumentum ep. 14.

**D**VAS ad Ciceronem Luccius consolatorias misit epistolas; & utrique Ci-  
cero respondit. Luccij prior desideratur, Ciceronis utraque exstat.  
In hoc quaerit primum causam Luccius, cur ab urbe Cicero absit; lau-  
dat, si solitudinem sequitur, ut otio ad scribendum abundet; non probat,  
si maeroris causa, ob filiae mortem suscepit; deinde rationes, cur dolori fi-  
nem facere debeat, subiungit. ad rationes postremo preces addit, sibi ut hoc  
tribuat roganti, ne diutius angatur. Claudit epistolam amoris, & mo-  
destiae significatio. Eodem anno scripta.

## Luccius S. D. Ciceroni.

14.

**S**I uales, bene est: ego ualeo, sicut soleo, paullulo ta-  
men etiam deterius, quam soleo. Te requisiui sae-  
pius, ut uiderem. Romae quia postea non fuisti, quam  
a me discesseras, miratus sum: quod item nunc miror.  
non habeo certum, quae te res hinc maximere trahat.  
si solitudine delectare, cum scribas, & aliquid agas  
eorum, quorum consuesti; gaudeo, neque reprehendo  
tuum consilium: nam nihil isto potest esse incundius,  
non modo miseris his temporibus, & luctuosis, sed etiam  
tranquillis, & optatis, praesertim uel animo desatigato  
tuo, qui nunc requiem querat ex magnis occupationi-  
bus, uel erudito, qui semper aliquid & se promat, quod

alios delectet, te ipsum laudibus illustret. sin autem,  
sicut hic dum eras, lacrimis, & tristitia te tradidisti:  
doleo, quia doles, & angere; non possum te non, si con-  
cedis, quod sentimus, ut liberius dicamus, accusare. quid  
enim? tu solus aperta non uidebis, qui propter acumen  
occultissima perspicis? tu non intelliges te querellis quo-  
tidianis nihil proficere? non intelliges duplicari sollici-  
tudines, quas elevare tua te prudentia postular? quod  
si non possumus aliquid proficere suadendo; gratia con-  
tendimus, & rogando; si quid nostra causa uis, ut ipsis te  
molestijs laxes, & ad conniictum nostrum redeas, & ad  
confuetudinem uel nostram communem, uel tuam solius  
ac pro-

ac propriam. Cupio non obtundere te, si non delectare in altera mibi uelim, si potes, obtemperes; aut in altera nostro studio: cupio deterrire, ne permaneas inincepro: cu non offendas. Vale.

## EXPLANATIO

**Q**UAM ame discesseras, } cur hoc mendosum suspicati quidam sunt, quibus placuisse video, Quam discesserat, non equidem intelligo; praeſertim cum antiqui omnes libri, quibus quidem ego nunc utor, cum uulgata lectione consentiant. **HINC** } ab urbe. **SOLITUDINE** } in quam se post obitum filiae Cicero contulerat. ad Att. ep. 13. lib. XII. Me haec solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. te unum desidero: sed litteris non difficultius utor, quam si domi essem. ardor tamen ille uret, & manet, non mehercule indulgenter me, sed tamen non repugnante. Et ibidem, ep. 14. 15. 16. 18. 21. 22. **CVM scribas,** } scripsit in solitudine librum de Consolatione ad se ipsum. scripsit etiam libros quinque de Finibus: quod utrumque ex epistolis ad Atticum intelligitur. **QVORVM confusisti;** } quo- sum aliquid agere consuesti. Graeca figura. **LACRVMIS, & tristitiae,** } fletus, & maeror dolentis animi signa sunt. quae tamen saepe ratio minuit, interdum etiam plane tollit: propterea Ciceronem hortatur Luceius, ut a lacrimis tristitiaq. abstineat. **NON possum te non, si concedis,** } in uulgatis libris, Nec possum. malui. Non possum, ut habent antiqui libri. alterum, Non, quod refertur ad uerbum, Accusare, paulo uidetur durius. uerum in antiquorum scriptis, unde haurimus ueritatem Latinae lin- guae, excusanda omnia, non omnia tamen imitanda. quamquam hic veterum librorum dissensio non nullam mendi suspicionem affert. alij enim habent, Non possum te nam si concedis: alij, Non possum te si non concedis: alij, Non possum te nam si non concedis. **APERTA non videbis,** } quid enim aperi- tius, quam, nihil profici querellis? **DIVPLICARI** } augetur enim dolor retractando. **VEL nostram communem,** } uel ita uiue, ut uiuimus omnes: uel, si nostram consuetudinem imitari non uis, uiue saltem, ut solebas ipse; sequere eam consuetudinem. qua tua solius, ac propria fuit, ut ab isto angore te liberes. **TVM solius,** } sic pro Q. Roscio: Tuas solius Cherea tabulas flagitamus. Liuus lib. 2. Gratae in uulgas leges fuere: quas cum solus pertulisset, ut sua unius gratia esset; tum demum comitia collegae subrogando habuit. **PROPRIAM,** } si non impetro, ut ad communem, saltem, ut ad tuam consuetudinem redeas, & peto, & impetrare debo. **STVDIО;** minuendi doloris tui cupiditate. **CONTRA- RIAE** } nam neque plura scribo, ne te obtundam: & plura tamen libenter scriberem, ne permaneres in incepto, id est ne suscepimus dolorem diutius ferres. Fortasse autem dixit, cupio te non obtundere, quod alteris iam litteris antea consolatus erat. **IN altera,** } in hoc studio meo leuandi doloris tui. **IM altera,** } quod hortor, & rogo, ut istis te molestijs laxas. **NON offendas.** } Offendere, quinque modis accepitur. Aut enim est laederé: quae notissima significatio est: propterea supercedebo exemplis. Aut reperire: ut ep. 9. lib. 1. Non offendes eundem bonorum sensum, mi Lentule, quem reliquisti. Et ep. 14. lib. v. Tam misero tempore nihil noui consilij cepissem, nisi in redditu meo nihil meliores res domesti- cas, quam remp. offendissem. Aut incidere: ut lib. 2. de Inuent. Quod si in ceteris quoque studijs a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo uellent addicere: minus in arro- gantiam offendenter. Aut peccare, uel aliquid committere, unde existimationis, honoris, beneuolen- tiae iactura fiat. ut ep. 7. lib. 1. Si cecidisset ut uolumus, & optamus, omnes & sapienter, & fortiter; sin aliquid esset offendit, eosdem illos & cupide, & temere fecisse dicturos. Et ep. 18. lib. 2. Si dignum se ma- ioribus suis praebuerit, ut spero, & opto; tua laus ex aliqua parte fuerit: sin quid offenderit; sibi totum, nihil tibi offenderit. Et ep. 4. lib. x. ad Att. Eumq. perturbatum, quod intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de aerario. Et pro Cluentio: Qui bis apud iudices offendisset. Aut passiu sumitur: quae minus nota significatio est. non enim est hic, offendas, pro pecces, ut credidit homo doctus, exemplis adductus alio spectantibus, sed pro Offendaris. quod ipse probat Cicero. nam ep. 1. lib. 1. ad Q. F. Si quis est, inquit, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuae commiseris. In Verrem lib. 1. act. 2. Hospes Ianitor, ueritus ne quid in ipso se offendit, hominem summa ui retinere coepit. Pro Milone: Si in me aliquid offenditis. Et Caesar lib. 2. bell. ci. At, credo, si Caesarem probatis, in me offenditis. Quae si attendantur, profecto patiendi vim potius ha- bere uidebuntur, quam agendi.

## Argumentum ep. 15.

**Q**UAESENTI Lucceio, cur ab urbe absit, eiusq. sollicitudines minuere co- nanti, ad utrumque respondet: lugere se non tam filiae obitum, quam reip. tempora; in urbe non esse, quod in ea nihil incundum, odiosa omnia.

Cicero



**O**MNIS amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in ijs litteris, quas a te proxime accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus, & optatus: dicerem, iucundus, nisi id uerbum in omne tempus perdidisset, neque ob eam unam causam, quam tu suspicaris, & in qua me, lenissimis, & amantissimis uerbis utens, re grauior accusas; sed quod illius tanti uulneris quae remedia esse debebant, ea nulla sunt. quid enim ad amicos ne confugiam? quam multi sunt? habuimus enim fere communes: quorum alij occiderunt, alij nescio quo pacto obduruerunt. tecum uiuere possem equidem, & maxime uellem. uetus est, amor, consuetudo, studia paria. quod uinculum, quae res deest nostrae coniunctioni? possumus ne igitur esse una? nec mehercule inteligo, quid impedit: sed certe adhuc non fuimus, cum essemus uicini in Tusculano, in Puteolano: nam, quid dicam, in urbe? in qua, cum forum commune sit, uicinitas non requiritur. sed, casu nescio quo, in ea tempora nostra aetas incidit, ut, cum maxime florere nos oportet,

teret, tum uiuere etiam puderet. quod enim mihi poterat esse perfugium spoliato & domesticis, & forensibus ornamentis, atque solatijs litterae, credo, quibus utor aſſidue; quid enim aliud facere possum? sed nescio quo modo ipsae illiae excludere me a portu, et perfugio uidentur, et quasi exprobrare, quod in ea uita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare posse, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiae itaque sic litteris uocor, in quibus consumto omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguum doloris obliuionem petam. quod si id egismus ego, atque tu; quod ne in mentem quidem nobis ueniebat propter quotidianos metus: omne tempus una fuimus; neque me ualeto tua offenderet, neque te maerens. quod, quantum fieri poterit, consequamur. quid enim utrique nostrum aptius? propediem te igitur uideo. Vale.

## EXPLANATIO

**D**ICEREM, iucundus, } dixi iam, nihil esse iucundum, quin idem gratum: non contra: nam saeppe multa grata, non eadem iucunda. ep. 6. lib. iv. Cuius officia iucundiora scilicet saeppe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora. IN omne tempus } ad temporis & nomen ipsum, & significationem utimur particula, In. ep. 14. lib. xi. In multa saecula uidebamus remp. liberatam. Et in oratione 12. in Rullum: In hunc annum professus sum otij me, & concordiae patronum. OB eam unam causam, } ob interitum filiae: quo equidem angor, sed non haec una me torquet cura, uerum illa simul, quod nec ab amicis, qui supersunt paucissimi, nec ab ipsa rep. quae ipsa quoque interiit, nec mehercule a litteris, quae negare perfugium uidentur, solatum petere possum. Eripuit igitur mihi iucunditatem in omne tempus non tam filiae mors, quam amissio reip. & amicorum: quae remedia tanti uulneris esse debebant. Quidam tu suspicaris, } scriperat enim Luccius: Sin autem, sicut hic dum eras, & lacrumis, & tristitia te tradisti. LENISSIMIS, & amantissimis uerbis, } ita enim scriperat Luceius, ut & modestiam suam, & eximiam in Ciceronem benevolentiam ostenderet. RE grauior accusas; } in eo loco: Tu solus aperte non uidebis? ILLIUS tanti uulneris } cruciatus ex obitu filiae summus translatione demonstratur, est enim acerbus uulnerum dolor, eq. magis, quo grauiora sunt. ideo satis non putauit, Vulneris, sed addidit, Tanti, sic ad Sulpicium, ep. 6. lib. iv. Noctam graui uulnere. HABIVIMVS enim fere communes: } propterea scis, quam non multi supersint. OCCIDERVNT, } ciuili bello Caefaris & Pompeij, ut duo Lentuli, L. Domitius, M. Bibulus, Ap. Claudius, L. Scipio, consulares omnes. OBDVRVERVNT, } ut M. Marcellus, qui Mitylenis in exilio maluit, quam in patria seruitute oppressa uitam ducere. postea tamen, Ciceronis litteris, redditum suadentibus, permotus, cum ad urbem se conferret, in itinere a familiari suo Magio Chilone occisus est. ep. 12. lib. iv. VETVSTAS } uetus notitia ep. 10. lib. x. ep. 16. lib. xi. ep. 32. lib. XIII. IN Tusculano, } quae uilla fuerat antea L. Sulla dictatoris. Plinius lib. XXII. cap. 6. VICINITAS non requiriuntur. } posunt ciues, licet prope habitent, crebro tamen, nec ullo incommodo, simul esse, quia forum commune sit, quo omnes quotidie fere cocunt. FLOREB } gratia, auctoritate, gloria. ep. 13. lib. iv. In qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floruiimus, in ea nunc ijs omnibus caremus. OPORTERET, } quia senibus rerum pro rep. gestarum, optimorumq. consilio præmia sunt gratia, auctoritas, gloria. VIVERE eram puderet. } amissilibertate, sine qua bonis ciuibis dulce nihil est. ep. 13. lib. iv. Saepius mihi uenire in mentem, queri, quod ita uiuere, quam gaudere, quod uiuere. Et ep. 3. lib. vii. Vbi non sis, qui fuoris, non esse cur uelis uiuere. DOMESTICIS, } non domesticis ornamentis, sed solatijs: ornamenti autem forensibus. nam, cum eum, reip. calamitatibus maerentem consolari filia soleret; domesticum quoque, illius morte, solatum amiserat. ep. 6. lib. iv. Mihi, amissis ornamenti ijs, quae eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatum, quod erexit. Et in eadem, paullo post: Non enim, ut tum me a rep. maestum domus excipiebat, quae leuaret; sic nunc, domo maerens, ad remp. confugere possum, ut in eius bonis acquiescam. FORENSIBVS ornamenti, } honestate, dignitate, honoribus. haec enim nominat Sulpicius in ep. 5. lib. iv. & Cicero respondens Ornamenta sua uocat. Potest etiam referri ad gratiam, auctoritatem, gloriam: quibus cum antea Cicero floruisse, caruit omnino post interitum

interitum reip. idq. scribit ep. 13. lib. ix. Quid enim aliud facere possum? } sublata reip. administrandae facultate. IPSAE illae } quibus utor assidue. A. P. O. R. T. V. } in eas enim ego me, tot malis nexus, tamquam ex tempestate in portum recepi: sed ejcior, & excludor: hoc est, ne in ijs quidem acquiesco: quandoquidem probarare mihi uidentur, quod in ea uita maneam, in qua miseria semper eadem futura sit. oderunt enim turpia: nec seruitute quidquam turpius. IN quamib[us] insit, nisi propagatio mississimi temporis. } Quod Plautus dixit in Trin. H[ic] producit uitam ad miseriam. HIC } quea cum ita sint, tu tamen ea me abesse urbe miraris. subiungitur admiratio narrationi: ut ep. 13. lib. vii. Hic tu me etiam insimulas. In Ver. lib. v. Hic tu etiam dicere audebis: Est in iudicibus ille familiaris meus. Pro Archia: Hic tu Heraclienium tabulas requiris. Sic ep. 9. lib. i. Hic ego, quantum humano consilio efficere potui, circumspexit rebus omnibus, rationibusq. subductis, summam feci cogitationum meorum omnium. FORI, curiae? } iudiciorum, & senatus. nam in foro iudicia, in curia senatus habebatur. ep. 6. lib. i v. Nihil in foro agere libebat: adspicere curiam non poteram. MEDICINA } perfugium, solatum, portus, medicina, remedium uulneris, eodem spectant: quibus nominibus Cicero uititur in hac epistola. DOLORIS obliuionem } aberrationem quandam a dolore, sic enim appellauit ep. 37. lib. xii. ad Att. Qui me, inquit, fractum, & debilitatum putant; si sciant, quid litterarum, & cuius generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, siue ita leuatus sim, ut animum uacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse; siue hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima, doctoq. homine dignissima, laudari etiam oportere. SI. ID egismus } si id utrique nostrum curae fuisset, ut una essemus. PROPTER quotidianos metus: } qui enim quotidie timeret, non modo non agit, sed ne cogitat quidem ea, quae agenda esent. OMNE tempus } post suum a Thessalica pugna redditum in Italiam. OFFENDERET, } offendere quidem, sed non tam grauiter. nam, si essemus una; teq. non ita, ut horis omnibus timeo, male affectum uiderem; & minus angerer. MAEOR meus. } tu quoque leuiores, quam nunc, ex macroremo molestiam praesens fuscipes. amor enim maiora fingit omnia. CONSEQUAMVR. } non dicit, curemus, sed, consequamur. sicut enim id erat in utriusque potestate. paullo ante, Nec mhercule, inquit, uideo, quid impedit. APTVS? } ne tua me ualeudo, te maeor meus offendat.

## Argumentum ep. 16.

**M**iserem Titum interitus filij consolatur. Orditur autem primum a dolore suo; quia communicatio doloris quasi quaedam consolatio est; deinde suam commemorat benevolentiam, qua commotus ad consolandum aggreditur: postremo, languentem amicum spe confirmat, cum opem afflito aliquam pollice ur. Tres igitur partes tamquam prooemij loco sunt. Consolatio autem multiplex est, & copiosa, ab ingenij, doctrinaeq. fontibus deriuata. Angeris interitus filij. Quid? tibi ne soli ante diem eripiuntur filij? nam scimus omnes ea lege, plurimis ut afficiamur incommodis, itaque non debes aut propriam, & praecipuam condicionem postulare, aut communem recusare. quis porro, quod nullo uitare consilio potest, id cum euenerit, angatur? haec si ratio parum adminuendam sollicitudinem proficit; adde exempla; quaeq. alijs eadem, aut similia contigerint, animaduerte; ne nimium isto casu, quasi proprium tibi fortuna vulnus inflixerit, ingemiscas. Haec, atque huius generis alia, ut ad leniendum dolorem uehemeter apta, litterarum monumentis mandanda sapientissimi homines censuerunt: eaq. nos in ore semper, atque in animo habere debemus: sed nulla magis consolatio proficiet, quam si miseras horum temporum, & statum nostrae ciuitatis tibi ante oculos propones. quis enim, cum probitati, aut bonis artibus, atque adeo libertati, & saluti nihil iam relictum sit loci, filios habere cupiat, ac non potius beatum se, quia nullos omnino suscepere, existimet? sin aliquis eos

*D d amisit;*



amisit; non ille quidem propterea beatus est, ( nec enim gaudere debemus liberorum interitu; neque id natura patitur ) sed certe minus miser, quam si eosdem stante, aut saltem non penitus eversa rep. perdidisset. Age, concedis haec esse uera, nec infelicit er cum ijs esse actum, qui tam miseris temporibus auita discesserunt: sed in commodo tuo maeres liberorum suavitate priuatus. Fateor id quidem acerbum esse: ueruntamen eum te antea semper & priuatis in rebus, & publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, & constantiae seruendum. Venit etiam in mentem, ideo te fortasse cruciari, quod eos, qui mortui sunt, uersari in miseria putas. Mihi uero, quod saepissime legi, & audiui, uel miseria nulla uidetur esse in morte, sicaret sensu, uel, si residet in ea sensus, immortalitas potius appellanda, quam mors. Verum finge miseros esse, qui occiderunt. nihil in morte grauius esse potest, qua quae reip. impendent. Postremo, cum omnes luctus uetusstate tollantur, impetrat statim ratio, quod impetratura aliquando dies est. Quo anno scripta, non liquet: mihi tamen post Pharsalicum scripta proelium uidetur ex ijs uerbis, Bona, aut denique aliqua rep. quod ante uictum Pompeium, ut opinor, non diceret. Eodem illud spectat, Hoc grauissimo, & pestilentissimo anno. Et illud, Quis est enim iam non modo pudori, probitati, uirtuti, sed omnino libertati, ac saluti loci?

Cicero S. D. Titio.

16.

**E**T SI unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus; quod tantum extuis molestijs cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, cum longius a summi luctus acerbitate mens abesseret dolor, quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse, meaq. in te benivolentiae, non tacere tanto in tuo maerore tamdiu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae leuare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio perniciosa quidem illa maxime, quam semper in ore, atque in animo habere debemus; HOMINES ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis proposita sit uita nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, quanatius sumus, condicione uitamus; ne ne tam grauiter eos casus feramus, quos nullo consilio uitare possumus; eventisq. aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. neque haec, neque ceterae consolations, quae sunt a sapientissimi uiris usurpatae, memoriaeque litteris proditae, tantum uidentur proficere debere, quant um status ipse nostrae ciuitatis, & haec perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint, qui liberos non suscepserunt; minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua rep. perdidissent. Quod si tuum te desiderium mouet; aut si tuarum rerum cogitatione maeres: non facile exahauriri tibi istum dolorem posse uniuersum puto. Sin illa te res cruciavit, quae magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugias: ut ea non dicam, quae saepissime & legi, & audiui, nihil mali esse

in morte; in quasi residet sensus, immortalitas illa potius, quam mors, ducenta sit; si sit amissus, nulla uidetur miseria debeat, quae non sentiatur; hoc tamen non dubitans, confirmare possum, ea miseri, parati, impendere reip. quae qui reliquerit, nullo modo mibi quidem deceptus esse uideatur. quid est enim iam non modo pudori, probati, uirtuti, rectis studijs, bonis artibus, sed omnino libertati, ac saluti loci? non mehercule quemquam audiui hoc grauissimo, & pestilentissimo, anno adolescentulum, aut puerum mortuum, qui nihil non a die immortalibus ereptus ex his miserijs, atque ex iniquissima condicione uideretur. Quare, si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid ijs, quos amasti, mali putes contingere: permultum erit ex maerore tuo deminutum, relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quae non cum illis communicabitur, sed ad te ipsius proprietate referetur. in qua non est iam grauitatis, ac sapientie tuae, quam tu a puro praestitisti, ferre immoderatus casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria, maloq. seunctus. etenim eum semper te & priuatis in rebus, & publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, & constantiae seruendum. nam, quod allatura est ipsa diurnitas, quae maximos lucus uetusstate tollit, id nos praevipere consilio, prudentiaq. debemus. etenim si nulla umquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendum fecerit: certe nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus, neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possumus. His ego

ego litteris si quid proficisem, existimabam optandum simi: quem me tibi & fuisse semper, existimes uelim, & quiddam me esse asecutum; sin minus forte ualuerint, futurum esse confidas. Vale.

## EXPLANATIO

**E**T SI unus} non dissimile pri neipium ep. 18. TANTVM cepi doloris,} hoc ipso iam incipit consolari, nam doloris communicatio solatij non nihil afferre solet, ep. 6. lib. iv. Quantum, inquit, praeſens me adiuare potueris & consolando, & prope aequo dolendo, facile ex eo intelligo. Sic Sulpicius ep. 5. lib. iv. LONGIVS} dolemus uterque, sed impari dolore; cum tu filium lugeas, ego tuo dolore doleam. TAM diu,} non statim igitur cum consolatus est, auditio interitu eius filij. PERVULGATA} quae patet omnibus: sed nos propriam quandam e statu nostrae ciuitatis consolationem capere debemus; qui eiusmodi est, ut beatissimi uideantur qui liberos non suscepserunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique rep. perdidissent. Consolatio haec a communī omnium hominum condicione sumitur, ut ep. 18. & lib. vi. ep. 6. altera, quae sequitur proxima, a temporum statu: quod idem notauius infra, in ep. 18. EA lege natos,} interpretatio antecedentium uerborum. VT omnibus fortunae telis proposita sit uita nostra;} quod etiam Senarius ille Naevii poetae docet:

Pati necesse est multa mortalem mala.  
ACCIDISSE} cum aduersi aliquid nobis accidit, euenta aliorum memoria repetamus. NEQUE haec,} consolationem unam proposuit; deinde subiunxit, Hacc, quasi non unam solam proposuisset. uerum, quae consolationis unius partes sunt, consolationes appellat. partes autem haec sunt, una, Homines ut nos esse meminerimus; altera, Neque esse recusandum; tertia, Ne tam grauiter; postrema, Euentisq. aliorum. VSURPATAE,} in sermonibus usurpatae, atque etiam scriptis consignatae. nam VSURPARI dicitur, quod, usitatum antea, sermonibus refertur, ut Phil. ii. Quod si te in iudicium quis adducat, usurpetq. Caſianum illud, Cui bonum fuerit. et alibi. MEMORIAEQ. litteris proditae,} scriptis ab hominum obliuione vindicatae. Posuit idem alijs modis, ut, memoriae proditae, litteris proditae, uerum, Memoriae litteris proditae, ita dixit, quasi, memoriae proditae litterarum adiumento. STATORVS ipse nostrae ciuitatis,} quem intuens diligere uitam nemo debet. AVT denique aliqua} ostendit nullam esse rem, quo adducor, ut post interitum Pompeij scriptam epistolam existimem. TUTUM desiderium,} quia desideras, quos amisti. TAVARVM rerum cogitatione,} non puto, Tuarum rerum, de fortunis dici, sed de liberis immatura morte erexit: ut sit: Tuarum rerum, pro, tuorum incommodorum: quod indicant & quae antecedunt, & quae sequuntur. VNIVERSVM,} dixit iam, Statui adhibere aliquam modicam consolationem, quae leuat dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Tua, inquit, cauſa si doles, quia carēs, quos dilexisti: prorsus tibi ipsum dolorem euelli posse non arbitror: haec enim quodammodo in ipsa natura, quae amorem quandam in ea, quae procreata sunt, cunctis ingenerauit animantibus. QVAE magis amoris est,} qui enim sua potius, quam aliorum cauſa angit, uere non amat. contra, id magis amoris est, aliorum miseras ipsorum cauſa lugere, non nostra. NIHIL mali esse in morte; in qua siferas, seſsus, immortalitas illa potius, quam mors, duenda sit; sin sit amissus, nulla uideri miseria debeat, quae non sentiatur.} haec se Cicero legisse dicit. Iegerat autem cum aliorum alia, tum illud Xenophontis lib. xix. Cyri paedie de ipso Cyro moriente; cuius haec sunt uerba ad filios: Εντοσθαλληδη εσωμι, ως μηδε αντικαρον παθε, μητε μετα τη σεσχετωμα, μητε μηδε ετιω. Eandem sententiam, ut auctore Lactantio cognovimus, libro de Legibus incerto expreſſit Cicero his uerbis: Gratulemūr nobis, quo nū mors aut inquietum, quam qui est in uita, aut certe non deteriorē est allatura statum. nam sine corpore, animo uigente, diuina est uita; sensu carente, nihil profecto est mali. Et in Hortensio, apud Augustinum: Magna spes est, aut, si hoc, quo sentimus, & sapimus, mortale & caducum est, iucundum nobis, perfundis muncribus humanis, occasum, neque molestam extinctionem, & quasi quieteni uite fore: aut si, ut antiquis philosophis hisq. maximis, longeq. clarissimis, placuit, aeternos animos ac diuinos habemus, sic existimandum, quo magis hū fuerint semper in suo cursu, idest in ratione, & inuestigandi cupiditate, & quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum nitjs, atque erroribus, hoc illis faciliorem adscensum, & redditum in caelum fore. SI residet sensus,} quod sensere Pherecydes, Pythagoras, Socrates, Plato, alij postea. Tusc. i. idq. ipſe Cicero comprobavit in libro de Senectute, ex Catonis Censori persona, in oratione autem pro Archia dubitat uideatur his uerbis: Hacc siue a meo sensu post mortem abfutura sunt, siue, ut sapientissimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt; nunc quidem certe cogitatione quadam, speq. delecto. SIN sit amissus,} qua in sententia maxime fuit Epicurus; cum ita disputaret: Mors nihil ad nos. nam, quod dissolutum est, sensu caret: quod sensu caret, nihil ad nos. Sextus Empiricus lib. iii. Pyrrh. hypot. cap. 24. RELIQVERIT,} a uita discedens. DECEPTRY,} tamquam aliquo bono priuatus. PESTILENTISSIMO,} quo, tamquam peste aliqua, occiderunt. NE quid ys, quos amasti, mali putas contigisse:} quod putare debes tribus de cauſis, uel si residet in morte sensus, uel si cum corporibus animi simul intereant, uel quod ea reip. impendeant, quae qui reliquerit, nullo modo deceptus esse uideatur. CURA doloris tui,} cura illa, quia doles tua cauſa. NON cum illis,} non enim ideo dolebis; quia mali aliquid ijs euenerit, sed ob incommodum

Dd 2 tuum.

tuum. **A P V E R O** sapientia non cadit in puerum: sed clucere tamen in illa aetate signa quaedam futurae sapientiae possunt. est igitur laudatio paullo liberalior; ut ad minuendum macorem ualeat. qualis enim de nobis opinio est; tales ut re ipsa nos praestemus, operam dare solemus. itaque post laudem sequitur admonitio; tuendam esse grauitatem, & constantiae seruendum. **I N C O M M O D O R V M** tuorum; quod amiseris eos, quos amabas. **D I L E X E R I S**; et si Diligere, minus est, quam Amare: quod patet ex illo loco epistolae 14. lib. ix. Tantum accedit ad amorem, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse: & ex altero epistolae 1. ad M. Brutum: Clodius ualde me diligit, uel, ut εμφατικώτερος, ualde me amat: tamen hic pro amore accipitur: paullo enim ante dictum est, Ne quid ijs, quos amasti, mali putes contigisse. **S E I V N C T V S**; cur nihil in morte mali sit, antea demonstrauit, uel manente sensu, uel amissio. **T V E N D A**; qui tuetur, defendit: & quoniam, qui defendit, conseruare cupit; ideo factum, ut Tueri pro conseruare capiatur, ut hic. **C O N S T A N T I A E**; constantia grauitatem sequitur, ut inconstantia levitatem. recte igitur grauitas primum, deinde constantia nominata est. ut etiam ep. 6. lib. 2. **S E R V I E N D V M**; quid est, seruire constantiae? exsequi ea, quae constantia postulat, nihil contra committere. **Q V O D** allatura est ipsa diuturnitas; eandem sententiam Sulpicius in ipso Cicerone consolando usurpauit, ep. 5. lib. iv. Nullus, inquit, dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. hoc te exspectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Et Cicero ep. 28. lib. viii. & ep. xi. ad Att. lib. xii. Quod autem hic Diuturnitas, paullo post, & ep. 28. lib. viii. dixit, Dies: Sulpicius autem, Longinquitas temporis. **P R A E R I P E R E**; paullo post, Anteferre, & Repræsentare, ad Att. lib. x. Non praeripi, sed exspectabo consilium. **C O N S I L I O**, prudentiaq.; paullo post, ratione. **M Y L I E R**; uim diuturnitatis exemplum mulierum ostendit, quas ratio non consolatur. quod si muliebrem luctum dies minuit; multo magis minuet in uiris, qui consilio, prudentiaq. praefstant. quod igitur futurum est, cur non ratio repræsentet? **R E P R A E S E N T A R E**; Repræsentat is, qui, quod aliquanto post facturus est, statim facit. **B E N E V O L E N T I S S I M I**, atque amicissimi; est benevolentia pro amore sumitur; quia nemo fere cuiquam, nisi quem amet, beneuelle, beneq. cupere uidetur: proprie tamē benuolus ab amico, & benevolentia ab amicitia differt. quod hic locus ostendit, & ille lib. de Fin. Quos tu paullo ante tm memoriter, tum etiam amice, & beneuale collegisti. Et in oratione pro Oppio, cuius testimonio utitur lib. ix. Quintilianus: O amorem mirum; o benevolentiam singularem; Ad Appium ep. 9. lib. iii. maior. amoris uis, quam benevolentiae, demonstratur. Nihil est, inquit, quod studio, & benevolentia, uel amore potius effici non possit.

### Argumentum ep. 17.

**E**Xcusat tarditatem litterarum suarum: hortatur Sextum, ut exsulcasum sapienter, fortiterq. ferat. idq. ut ei persuadeat, & ut afflictum consoletur, argumenta sumit, a communi omnium hominum condicione, ab ipsis Sextij uirtute, ab exemplis, a statu reip. a Sextij filio, a iudicio amicorum, ab ipsis conscientia. postremo, quod ipsum ad maerorem minuendum pertinet, sua studia, & officia uel ad consolandum, uel ad leuandum eius fortunam pollicetur omnia. **Moralis est**, scripta, ut opinor, Caesare, & Lepido cos. anno v. c. DCCVI.

**Cicero S. D. P. Sextio P. F.** 17.

**N**ON oblinione amicitiae nostrae, neque intermissione consuetudinis meae, superioribus temporibus ad te nullas litteras misi, sed quod priora tempora in ruinis reip. nostrisq. iacererunt, posteriora autem me a scribendo tuis iniustissimis, atque acerbissimis incommodis retardarunt, cum uero & interuallum iam satis longum fuisse; & tuam uirtutem, animiq. magnitudinem diligenter esse mecum recordatus: non putau esse alienum institutis meis, haec ad te scribere. Ego te, P. Sexti, & primis temporibus illis, quibus in iudicium absens, & in crimen uocabare, defendi: & cu in tui familiarissimi iudicio, ac periculo tuum nomen con-

tingeretur, quam potius accuratissime te, etiamq. cuiusdam tutatus sum; & proxime recenti aduentu meo cum rem aliter institutam offendissem, ac mibi placuisset, si affussem, tamen nullare saluti tuae defui: cumq. eo tempore inuidia armonae inimici non solum tui, uerum etiam amicorum tuorum, iniurias totius iudicij, multaq. alia reip. uitia plus, quam causa ipsa, ueritatisq. ualuerissent; Publio tuo neque opera, neque consilio, neque labore, neque gratia, neque testimonio defui: quamobrem, omnibus officijs amicitiae diligenter a me, sancteque servatis, ne hoc quidem praetermittendum esse duxi, te ut hortarer, rogaremque ut & hominem te, et uirum esse meminisses;

idest

id est ut & communem, incertumq. casum, quem neque uitare quisquam nostrum, neque praestare ullo pacto potest, sapienter ferres; & dolori fortiter, ac fortunae resisteres; cogitaresq. & in nostra cunctate, & in ceteris, quae rerum potitae sunt, multis fortissimis, atque optimis urbis, iniustis iudicijs, tales casus incidisse. Illud utinam ne uere scriberem, eate rep. carere, in qua neminem prudentem hominem res illa delectet. De tuo autem filio, ueroe, ne, si nihil ad te scripserim, debitum eius uirtutis uideas testimonium non cepisse; sin autem omnia, quae sentio, perscripserim, ne refricem meis litteris desiderium, ac dolorem tuum. sed tamen prudenter facies, stillius pietatem, uirtutem, industriam, ubi cumq. erit, tuam esse, tecum esse duces, nec enim minus no-

stra sunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. quamobrem & illius eximia uirtus, summusq. in te amor magnae tibi consolationi debet esse; & nos, ceterique, qui te non ex fortuna, sed ex uirtute tua pendimus, semperq. pendemus; & maxime animi tui conscientia, cum tibi nihil merito accidisse reputabis; & illud adiunges, HOMINES sapientes turpitudine, non casu, & delicto suo, non aiorum iniuria, commoveri. Ego, & memoria nostrae ueteris amicitiae, & uirtute, atque obseruantia filij tui monitus, nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad leuandum fortunam tuam. tu si quid ad me forte scripseris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere. Vale.

## EXPLANATIO

P. SEXTIO P. F. { uix opinor, ac plane non opinor hunc esse P. Sextium, pro quo exstat Ciceronis Oratio, qui C. Antonij primum consulis, deinde Macedoniae proconsulis quaefor fuit. cur ita existimem, occurunt haec: primum, fuisse illum quem Cicero defendit, Lucij filium, non Publij, ut indicat inscriptio epistolae sextaelib. v. neque in eo libri ueteres a recentioribus uulgatis dissentunt. nec dubito, quin Tiro, qui patroni sui Ciceronis epistolas in uolumina retulit, utrique Sextio in litterarum inscriptione praenomen patris, ut internoscerentur, addiderit, quoniam utriusque praenomen, & nomen idem esset. Altera cauſa est: quod ille P. Sextius L.F. Romae fuit usque ad initium belli civilis, & inter eos, qui cum imperio essent, nominatur: ut patet in ep. 16. ad Att. lib. v. 11. & ad eundem ep. 15. lib. 11x. & hic Publij filius ante ciuile bellum uidetur abfuisse. cum enim ait Cicero, nullas ideo se litteras ad eum misse, quia priora tempora in ruinis reip. iacuerint, quis non eo coniiciat, Sextium ante ruinas reip. idest ante ciuile bellum, abfuisse? Tertio loco illud pono. Hic Sextius P. F. quo tempore hanc Cicero epistolam scripsit, exsulabat, iudicio damnatus: quod ex ijs verbis intellico: Posteriora autem me a scribendo tuis iniustissimis, atque acerbissimis incommodis retardarunt. & infra semel & iterum illius iudicij fit mentio. haec autem epistola, cum illa uerba intuor, Proxime, recenti aduentu meo; scripta mihi uidetur paullo post Alexandrinum bellum, quo tempore Cicero, qui Brundisij diu iacuerat, concessu Caesaris in urbem rediit. At ille Sextius L.F. quem Cicero ante ciuile bellum luculenta, quae exstat, oratione defendit, non modo non statim post Alexandrinum bellum, sed etiam post deuictos in Hispania Pompeij liberos lege Pompeia causam dixit. testem habeo epistolam 47. lib. xiiii. ad Att. Appianus quidem Sextium quendam lege Pompeia de ambitu ante belli ciuilis tempora damnatum, auctor est lib. 2. bel. ci. Sed is omnino esse non posuit, neque hic P. Sextius P. F. quem diximus post Alexandrinum bellum esse damnatum; neque ille L.F. qui paucis ante Caesaris necem mensibus lege Pompeia est accusatus. Aut igitur est alius P. Sextius, praeter hos duos: aut Appianus errore temporum, quo peccat saepe, lapsus est, quippe qui in eo ipso loco damnatos eodem, quo Sextium, tempore absentes Milonem, & Gabinium, dixerit. in quo duplum peccat, primum, quia neque Milo, neque Gabinius absentes, uerum praesentes damnati sunt; deinde, quod Gabinius non Pompeio tertium consulē, ut ille ait, sed anno superiore, Caluino & Messalla cos. damnatus est. quod cognoscitur ex Dionis historialib. xxxix. de Milone autem praefente, ex oratione pro illo habita, & Pediano interprete. Concludamus igitur, aut duos esse P. Sextios, aut in huius epistolae titulo mendum esse, & P. SITTIO, fortasse legendum, ut est in antiquo Maffei libro: aut P. SITTIO, cum in alio item antiquo libro, P. Sitti, legatur, ubi est in impressis, P. Sextij, quod alij quoque uiderunt: sed, quia hunc esse P. Sextium, pro quo exstat oratio, sibi iam persuaserant, ideo mendum esse ueterem librum existimarunt. IN RVINIS reip. nostrisq. { cum & resp. ciuili bello, & simili bonorum ciuium auctoritas concidisset. priora enim uocat tempora, quae statim ciuile bellum consecuta sunt. IACVERNT, } idest, ego iacui per illa tempora, maerore scilicet afflictus. POSTERIORA { accessit postea, ne scriberem, altera cauſa, quod abhorrebat animus a scribendo, cum incommoda tua cogitarem iniustissima, atque acerbissima. INIVSTITISSIMIS, } quia damnatus erat iniuste: ideo subiungit illa: cum eo tempore iniuria annonae, inimici non solum tui, uerum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicij, multaq. alia reip. uitia plus, quam cauſa ipsa, ueritasq. ualuerint. ACERBISSIMIS { quid enim acerbius, quam carere patria, liberis, propinquis, amicis, prascerit eum, qui non suo delicto, sed iudicium exsulet iniuria. INCOMMODIS { exsilio, in quo multa perforuntur incommoda. TVAM uirtutem, } eti. Virtus a Viro dici putatur: tamen etiam adolescentes a uirtute laudantur: itaque infra Sextij filij uirtus quater nominatur. EGO te, } saepe narrationem orditur ab hoc pronomine, ut ep. 9. lib. i. Ego me, Lentule, initio rerum, atque actionum tua- rum. Et iterum, paullo post: Ego, si ab improbis, & perditis ciuibus remp. teneri uiderem. Et tertio, aliquanto post: Ego, cum mihi cum illo iam magna gratia esset. Sic in ep. 6. lib. v. Ego, tua gratulatio- ne commotus. Et ep. 3. lib. x. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo uestra ante ali- quanto,

quanto , quam tu es natus . & ad Att. ep. 14. lib. 1. Ego enim , quamdiu senatus auctoritas mihi defendenda fuit . Quae sunt omnia narrationum initia . PRIMIS temporibus illis ,} pater uerborum sententia , sed ignota historia . Hoc alij opinati sunt ad Sextium , pro quo exstat oratio , pertinere , & significari tempus illud , quo C. Antonius , Macedonia male administrata , in iudicium uocatus est : quod eius quaestor Sextius , quasi criminum conscius , & particeps , accusatus sit . ego iam satis uideor probasse , alium hanc esse P. Sextium . præterea , quod omnino leuc non est ; quamquam non hac una ratione nititur opinio nostra ; nulla plane cuiusquam criminis , aut inuidiae in Sextium concitatae mentio fit in ep. 6. lib. v. cum Antonij tamen accusatio nominetur . INVIDIAM } Inuidiam pro infamia saepe usurpat Cicero : de quo diximus in ep. 1. lib. 1. CVM . IN tu familiariissimi iudicio , ac periculo tuum nomen coniungeretur ,} uideo existimari posse , caussam de ui nunc significari , in qua Cicero Sextium reum ornatissima , quae exstat , oratione defendit . nam & Milo , Sextij familiaris , eodem tempore de ui reus fuit , quo spectare aliquis putauerit illa uerba , quae sunt in oratione pro Sextio : Quo modo in hoc genere præsidij comparati accusas Sextium , cum idem laudes Milonem ? Et in Vatinium : Quaero , cum in rep. administranda T. Anno cum P. Sextio consiliorum omnium societas fuerit ; ( id quod non solum bonorum , uerum etiam improborum iudicio declaratum est : est enim uterque reus ob eandem caussam , & eodem crimen ) qui possit eos , quos crimine coniungis , testimonio disiungere ? Hinc oriens conjectura potest , hunc esse P. Sextium , pro quo legitur oratio . manco tamen in sententia de Sextijs duobus : & hunc statuo non esse illum , cui Cicero de se in tribunatu pl. optime merito , de ui postea in iudicium adducto , gratiam cumulateretulit patrocinio suo . Nam illud minus me mouet : Cum in tu familiariissimi iudicio , ac periculo tuum nomen coniungeretur , non enim ideo Sextium Cicero defendit , quod eius nomen in eius familiariissimi iudicio . ac periculo coniungeretur ; sed quod suo proprio crimen , proprio etiam accusatore Albinouano , ( nam Milonem P. Clodius aedilis accusauit ) in iudicium uocaretur . itaque , cum iudicium Milonis , accusante ad populum Clodio , partium impetu , & contentione disturbatum esse Cicero ad Q. fratrem scripsisset : subiunxit haec , quasi de alia re : Ad iv. id. Sextius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus , & eodem die a quodam M. Tullio de ui . & quamquam uterque de ui , non tamen ad eosdem iudices , nec ab iisdem accusati sunt , sed Milo ad populum , ut in ep. 3. ad Q. fratrem , Sextius autem ad praetorem , & iudices ab ipso praetore delectos ; & ille , ut dixi , accusante Clodio , hic M. Tullio Albinouano . Alij , Tuum crimen , non , Tuum nomen , utrumque recte . PROXIME recenti aduentu meo ,} post Pharsalicam pugnam Cicero , spe ueniae ductus , in Italiam rediit ; ad urbem tamen , non nisi confecto Alexandrino bello , uenia iam imperata se contulit . ostendunt hoc epistolæ lib. xi. ad Att. REM aliter institutam } rationem Sextij defendendi , absentes , ut opinor : nam si Cicero cum Romæ uidisset , non attulisset perpetuam tam longi temporis excusationem : quod fecit initio epistolæ : ex quo liquet , Sextium non modo post damnationem , sed etiam aliquanto ante ab urbe absuisse . INVIDIA annonae inimici non solum tu ,} cum ei propter annonam , quod frumentum fortasse in aedilitate uili pretio uendidisset , non modo eius inimicus , uerum amici etiam iniurideret . Non est inusitatum Ciceroni duobus uti generandi casibus , ut in libro de Senectute : Quid de P. Licenij Crassi & pontificij , & ciuilis iuri studio loquar ? Et lib. 2. de Nati de Ijs artibus , quarum iudicium est oculorum . Et Phil. xiv. Cuius imbecillitatem animi uirtus , & spes uistoriae confirmauit . VALVSENT ,} quia damnatus est . PUBLIO suo } filio . HORTARE , regarem .} hortationi saepe adduntur preces . uide epistolam sequentem , & primam lib. 1. HOMINEM te , & uirum } ab homine sapientiam , a uiro fortitudinem postulat . est enim εμφασις in Virum : ut in epistola sequenti . Te colligas , uirumq. præbeas , & Phil. 2. Ille uir fuit , nos quidem contemnendi . Et in quadam ad Atticum epistola : Si uir esse uolet , det præclara synodia . & in Bruto : Vidi Mitylenis uirum , & uidi plane uirum . COMMUNEM ,} non quod omnes damnentur iniustis iudicij , sed quod quilibet damnari possit , præsertim ubi concurrant haec , inuidia multorum , iniquitas iudicij , reip. uitia ideo sequitur : Quem neque uitare quisquam nostrum potest . INCERTVM Q. ,} ut communis est casus , quia cuius potest incidere : sic incertus , quia , ne libi incidat , præstare , & efficere nemo potest . quac enim sequuntur uerba , Vitare , & Praestare , illud ad communem casum , hoc refertur ad incertum . DOLORIS ,} ex iniusta calamitate suscepto . FORTVNÆ ,} addidit Fortunae , ut eum culpa liberaret . CETERIS ,} Athenis maxime : qua in ciuitate , qui praeter ceteros uirtute , & rerum gestarum gloria florarent , in exsulium nullo crimen mittebantur . Sic Miltiades , Themistocles , Arisides , Cimon pulii sunt . exaequari enim omnes , nec eminere quemquam , utile uisum est in libera ciuitate . FORTISSIMIS , atque optimis ,} non dubito , quin de fortissimo uiro Themistocle , atque alijs nonnullis rebellicae fama clarissimis , de optimo autem Ariside cogitarit , quem ob insignem iustitiam ostracismo electum esse , Plutarchus , & Aemilius Probus narrant . E A. T E rep. carere ,} eadē ratio in duabus epistolis , quarta , & sexta lib. vi . CEPISSE ,} Etsi , Testimonium accipere , dixit Cicero in Verrem : tamen hic malim , Dediisse : quod uerbum eo magis placet , quia congruit optime cum eo , quod dictum est , Debitum eius uirtutu . & Dare testimonium , frequens loquendi modus apud Ciceronem , ut ep. 16. lib. xiii . Iudicij mei testimonium ei libenter dedi . Et lib. iii . deleg . Tam præclarum mihi dedisti iudicij tui testimonium . Et alibi . VIRTUTI ,} ad probitatem , atque animi præstantiam , non ad doctrinam , refero : & paulo post ; Pietatem , uirtutem , industriam . REFRICEM ,} huiusc nominis uim in prima ad Leniulum epistola iam ostendi . INDUSTRIAM ,} non enim se , ut multi adolescentes , languori & ignorantiae dedidit . TUAM esse , tecum esse duces ,} nam , si doles , quod tali filio carcás : minus dolebis , si illius uirtutem , ubicumque erit , tuam esse , tecum esse duces . ANIMI tui conscientia ,} hoc & satis per se patet ,

ret, & explanatur sequentibus uectibus, interdum tamen uenit in mentem de mendo suspicari, cum in omnibus antiquis libris, quibus quidem nunc utor, scriptum uideam, Amici tuae conscientiae. IN IURIA, non iure damnatum Sextum, dixit iam in eo loco, Inuidia annonae: & in eo, Multis fortissimis, atque optimis uiris, iniustis iudicij, tales casus incidisse. Ego, promittendi officij locus, quo maxime solamur afflictos, extremae fere datur epistolae. exstat exemplum in his tribus consolatorijs, superiore, & hac, & sequenti.

### Argumentum ep. 18.

**C**onsolatoria est. ualeat autem ad consolandum societas aegritudinis. index enim benevolentiae dolor est. itaque Cicero orditur a significatione doloris sui, quem ex Fabij ceperat incommodo. sic ad Titium, ep. 16. sic sut picius ep. 5. lib. 14. Cicero in ea, qua respondit, leuatum se aliqua fateatur luctus parte non solum oratione Sulpicij, & auctoritate, uerum etiam societate paene aegritudinis. Hoc igitur initio ad consolandum Fabium aggressus, subiungit haec, quae ad minuendam molestiam ualeant; pri-  
mum, eam esse omnium hominum condicionem, ut aduersa saepe accidunt. quae de re sic ad Titium: *Est autem consolatio peruulgata quidem illa ma-*  
*xime, quam semper in ore, atque in animo habere debemus, homines nos*  
*ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis proposita sit ui-*  
*ta nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, condicio-*  
*ne uiuamus.* Alterum: perdita esse tempora, mutato reip. statu, quod  
ideo dicit, ut eam condicionem, quae bonis quoque temporibus tamen om-  
nium communis est, & eodem loco, in eadem ad Titium epistola. nam, cum  
de communi conditione posuisset ea, quae proxime recitauit; adiunxit hoc de  
ratione temporum: Neque hae, neque ceterae consolationes, quae a sa-  
pientissimis uiris usurpatae, memoriaeque litteris proditae, tantum uidentur  
proficere debere, quantum status ipse nostrae ciuitatis, & haec perturbatio  
temporum perditorum. Tertio loco, bona uirtute parta cum fortune dam-  
nis comparauit. quae cogitatio maxime luctum lenat. cui enim plus, quam  
abstulit fortuna, uirtus dedit, is nisi de suo statu laetatur potius, quam an-  
gitur, imperitus rerum suarum ratiocinator est, & ea ipsa, quam possidet,  
uirtute uidetur indignus. Quartaratio est, desperatio rerum commu-  
nium. dixerat iam de praesenti temporum statu: nunc de imminenti sub-  
iungit; ne acerbum Fabio uideatur, ea rep. carere, in qua legum, iudicio-  
rum, bonarum omnium rerum timeatur interitus; praesertim cum ab  
ea discesserit quam leuissima poena, relictis ei fortunis, liberis, amicis.  
Consolatio concluditur opinione hominum de illius innocentia, & iniquita-  
te iudicij. Extrema officij promissio: quod ipsum consolandi quoddam  
genus uidetur: itaque similiter clauduntur duae superiores, quae consolan-  
tur, epistolae. Consolationis caussam non opinor fuisse, quod repulsam  
in petitione magistratus Fabius tulisset, uerum quod iudicio damnatus es-  
set.

set. non enim ob eius repulsam se esse consolandum Cicero diceret; nec eam; ut, puto, incommode vocaret; nec argumentaretur a communi condicione; nec ad repulsam illud spectat, Fortuna abstulit; nec illud, Quam leuisima poena: repulsa enim neque poena est, neque nominatur. mentio uero iudicij, & sententiae unius potentiae condonatae, non video qui referri ad repulsam possit. Annum epistolae plane non definio: sed omnino uidetur scripta ante ciuile bellum, atque etiam ante quam Cicero iret in prouinciam, cum opes Pompej maxime essent, Caesare in Gallia res gerente. quod illa uerba demonstrant: Ea uidetur condicio impendere legum, iudiciorum. & illa: Potentiae alicuius condonatum.

Cicero S. D. T. Fabio.

18.

**E**T SI egomet, qui te consolari cupio, consolans ipse sum; propterea quod nullam rem grauius iamdiu tuli, quam incommode tuum: tamen te magnopere non hortor solum, sed etiam pro amore nostro rogo, atque oro, te colligas, uirumq. praebetas, & qua condicione omnes homines, & quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi uirtus tua dedit, quam fortuna abstulit: propterea quod adeptus es, quod non multi homines noui; amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique uidetur condicio impendere legum, iudiciorum, temporum, ut optime actum cum

eo uideatur esse, qui quamleuissima poena ab hac re discesserit. Tu uero, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos, ceterosq. necessitudine, & benevolentia tecum coniunctissimos quicq. magnam facultatem sibi habitus nobiscum, & cum omnibus tuis uiuendi; & cum unum sit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una sententia, eaq. dubia, potentiae alicuius condonatum existimetur; omnibus his de causa debes istam molestiam quamleuissime ferre. Meus animus erit in te, liberosq. tuos semper, quem tu esse uis, & qui esse debet. Vale.

## EXPLANATIO

**N**ON hortor solum, } de hoc uerbo diximus in ep. 1. lib. 1. & in proxima superiore. **R**OGO, atque } uero, } humilitas in orando maior est, quam in rogando. unde adorare, orare etiā est caussam agere; unde orator. ac tunc, ratione finis, idem est, quod rogare, & petere, quamquam aetio diuersa. qui enim rogat, & qui orat, & qui petit, impetrare aliquid cupiunt, & omnes petunt. sed petitio rogantis cum solis precibus est; orantis, cum rationibus, & precibus; unde orator, qui rationibus interdum, ita causa postulante, preces adiungit. petenti neque preces, neque rationes necessariae sunt: quae si adduntur, tum uel rogare proprie dicitur, uel orare; si non adduntur, petere simpliciter. **T**E **c**olligas, } ne iterentur eadem, uideat lector ea, quae de hoc loquendi modo diximus in ep. 9. lib. 1. ad cum locum, Collegi ipse me, & cum ipsa quasi rep. sum collocutus. **V**IRVM Q. **p**raebetas, ut dolori fortiter, ac fortuna resistas, quemadmodū uirum decet. eadem sententia in epistola superiore. notum loquendi genus. uide illud ep. 18. lib. 2. Qui si dignum se maioribus suis praebuerit. **D**EDIT, } dedit hominum studia, honores, existimationem. **A**BSTVLIT: } non dicitur id auferri, quod petentes non impetramus, sed quod possidentes amittimus. itaque non ad repulsam, sed ad condemnationem hoc refere. aufer autem condemnationem patriam, & coniuctum amicorum. **H**OMINES noui; } homo nouus, & nobilis opponuntur. qua de re dictum est pluribus uerbis in ep. 7. lib. 1. **P**LVRIMI } quibus damnatio patriam abstulit. **T**V uero, } haec tota sententia mire ualeat ad consolandum, a tribus deducta fontibus, a praesentibus bonis, a spe futurorum, ab eius innocentia. **F**ORTVNAS, } quae si absent, incommode augeretur exsulij. **E**T liberos } quos damnatus non amisit. **N**ECESITVDINE, & benevolentia coiunctissimos; } amplificatio. nam & amoris caussa, & amor, & summus amor tribus uerbis ostenditur. **S**IS habiturus } apte consolatur, qui & amico minuit opinionem praesentis mali; & id ipsum tamen non diuturnum fore pollicetur, quod utrumque Cicero praefat. cum enim de leuissimo Fabij incommodo iam dixisset; de spe redditus, tamquam minime dubia, subiunxit: fortasse quod cum iudices non exsulij perpetui, sed aliquot annorum poena damnassent. alioqui cur illi promitteret Cicero facultatem uiuendi cum suis? **I**VDICIVM } hoc si attendimus, de Fabij damnatione dubitare non possumus. **E**x tam multis, } hoc adiunxit, ne Pompeio, quo tertium consule, & fortasse ex legibus ab eo latis, illa iudicia facta erant, iniustitiae maculam inurat. cum enim cogeretur iudicium improbare, quo Fabius damnatus erat; callide & amico uelificatus est, & Pompej tamen dignitatis rationem habuit. **V**NA sententia, } quae Fabium sententiae damnarunt, una tantum plures fuere, quam quae absoluerunt. **E**AQ. dubia, } quia condonatum unius potentiae iudicium existimat: de iudicium enim integritate non constat. non tuo, inquit, delicto, sed unius potentia ad grauium sententiarum numerum accelerit. **E**thic Pompei

peio parcit tribus modis. non enim dicit, Eaq. corrupta, sed, Eaq. dubia: nec, Potentiae Pompeij, sed, Potentiae alicuius: nec, Condonatum sit, sed, Condonatum existimetur. MOLESTIAM} incommodum appellavit supra. notandum hoc genus ad copiam. QVAM LEVISSIME ferre. } quam tamen ipse non leuissime ferebat: dixit enim in prima epistolae parte, Nullam rem grauius iamdiu tuli, quam incomodum tuum. sed illud, ut dixit, quasi consolandi gratia posuit. ET qui esse debet. } hoc addit, quia, licet exspectari soleat exitus promissae rei, tamen exspectatur magis, cum promittitur id, quod debetur.

## Argumentum ep. 19.

**C**VM Pompeius, Italia pulsus a Caesare, in Graeciam magno cum bonorum ciuium comitatu, in quibus uterque consul fuit, renouandi bellicauissa nauigasset: Rufus ad eum officij cauissa, quod ea reip. castra esse uidebantur, transire cogitabat. eius consilium probat Cicero; idemq. sibi iamdiu ait esse constitutum. Pompeij cauissam meliorem iudicat: de belli exitu non minus aduersa timere, quam sperare uidetur secunda. ad extremum tacite petit, non modo ut reip. uerum etiam amicitiae suae cauissa in sententiamaneat. Scripta est post sequentem, profecto iam in Graeciam Pompeio, C. Marcello, L. Lentulo cos.

Cicero S. D. Rufo. 19.

**E**T si mihi numquam dubium fuit, quin tibi esset carissimus: tamen quotidie magis id perfficio: exstatq. id, quod mibi ostenderas quibusdam litteris, hoc te studiorem in me colendo fore, quam in prouincia fuisses, (etsi, meo iudicio, nihil ad tuum prouinciale officium addi potest) quo liberius iudicium esse posset tuum: itaque me & superiores litterae tuae admodum delesterunt, quibus & expellatum meum aduentum abste amanter uidebam, &, cum aliter res cecidisset, ac putassem, te meo consilio magnopere esse laetatum: & his proximis litteris magnum cepi fructum & iudicij, & officij tui: iudicij, quod intelligo, te, id quod omnes fortes, ac boni uiri facere debent, nihil purare uile esse, nisi quod rectum, honestumq. sit: officij, quod te mecum, quocumque cepisssem consilij, polliceri fore: quo neque mibi gratus, neque, ut ego arbitror, tibi honestius esse quidquam potest. Mibi consilium captum iamdiu est, de quo ad te, non quo celandus essem, nihil scripsi ante,  
sed quia communicatio consilij tali tempore quasi quae-  
dam admonitio uidetur esse officij, uel potius affligitatio  
ad coeundam societatem uel periculi, uel laboris. cum  
uero ea tua sit uoluntas, humanitas, benevolentia erga  
me; libenter amplector tales animum, sed ita; (non e-  
nimir dimittam pudorem in vogando meum) si feceris id,  
quod ostendis, magnam habeo gratiam; si non feceris,  
ignoscam; & alterum timori, alterum mibi te negare  
non potuisse arbitrabor. est enim res profecto maxima.  
quid rectum sit, apparet; quid expediat, obscurum est,  
ita tamen, ut, si nos ij sumus, qui esse debemus, id est  
Studio digni, & litteris nostris, dubitare non possimus,  
quin ex maxime conducant, quae sunt rectissima. Qua-  
retu, si simus placebit, statim ad me uenies: si idem  
placebit, atque eodem, nec continuo poteris; omnia ti-  
bi ut nota sint, faciam. quidquid statueris, te mibi ami-  
cum; si id, quod opto, etiam amicissimum iudicabo.  
Vale.

## EXPLANATIO

**R**VFO; cognomen hoc esse L. Mescinij, Ciceronis antea quaestoris in Cilicia, iampridem existimatui, adductus in hanc opinionem epistola sequenti: in qua tum de rationibus agitur ab eo referendis, quod quaestorij muneris erat, tum etiam Rus frater M. Mindius nominatur: & idem L. Mescinij frater appellatur in ep. 26. lib. XIII. Nunc lactor opinionem confirmari meam ueteri argenteo nummo, ita inscripto, L. MESCINIVS. RVFVS. is nummus est apud uirum doctissimum, Episcopum Ilerensem, Antonium Augustinum. Alterum postea nummum praestans uir Latina, & Graeca lingua, omniq. liberali doctrina perpolitus, Fulvius Vrlinus mihi ostendit. De Mescinio autem quaestore non solum in ep. 26. lib. XIII. cuius proxime testimonio sum usus, uerum etiam in ep. 6. lib. XVI. & ijs ad Atticum fit mentio, alter Ciceronis quaestor, qui serius in prouinciam iuit, C. Coelius fuit, is ad quem scribit ultimam epistolam libri secundi. QVOD mibi ostenderas; pro, significaueras, ut infra: si feceris id, quod ostendis. & ep. 1. lib. 1. Ceteris in rebus se accerrimum tui defensorem ostendit. & ep. 8. lib. IX. Etsi, munus fligere, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus. LIBERIVS iudicium;

Ee nam



nam in prouinciam officio quaestorio adductus uideri poterat eum studiose colere: cum praestare quaestor praeiori suo debeat, quidquid officii potest; nec in eo liberum iudicium sit. confecta uero prouincia, liberum iudicium datur, & uerus animi sensus apparet, necessitudine quaestoria solutus. **M E O consilio** quod eo non accesserim, quo me uenturū putaueras. Fortasse proprius ad ea loca se Cicero contulerat, unde tuior, cōmodiorq. in Graeciā transitus daretur. **dicit.n.** in extrema epistola: Si simul placebit, statim ad me uenies. **C E P I fructū & iudicij, & officij tuū.** **I V D I C T I,** iudicū prius, deinde officiū nominauit, eundē igitur in aferenda utrinque cauſa ordinem seruat. contra uero in epistola ultima lib. xv. **H abes,** inquit, de Caluo iudicium, & consilium meum; consilium, quod hortandi cauſa laudaui; iudicium, quod de ingenio eius ualde existimauit bene. **F O R T E S , a e b o n i n i r i** fortis, qui pericula, mortemq. ipsam pro patria contemnunt; boni, qui recte sentiant, honestumq. rebus omnibus anteponant. significauerat Mescinius, uelle se ad Pompeium transire. & quoniam in bellum euntibus aduersa multa proponuntur; quae tamen fortem, bonumq. uirum a sententia non deterret: ideo, quasi ut currentem incitaret, imitationem in eolau dat fortium, ac honorum uitorum. **O F F I C I I ,** erga me, pro nostra necessitudine. **C O N S I L I V M captum** eandem cum Pompeio, reip. cauſam tuente, subire fortunam constitui. **I A M D I V ,** Atticum tamen, anceps animi, saepe litteris consuluit, quod sibi agendum censeret. certior enim in Caesaris castris uictoria uidebatur, ad extremum, pudore uictus, ad bellum ciuile, tamquam ad pestem ante oculos positam, profectus est. qua de re sic ep. 6. lib. vi. Valuit apud me plus pudor meus, quam timor. ueritus sum deesse Pompeii salutis, cum ille aliquando non defuisset meae. itaque uel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiarans, sic ego prudens, & sciens, ad pestem ante oculos positam sum profectus. **S I . F E C E R I S id, quod ostendis,** si mecum eris, ut scripſisti, quodcumque consilij cepero. **M A G N A M habeo gratiam;** tamquam id mea cauſa feceris. **T I M O R I ,** quod ea timueris, quae bellorum natura fert. **M I H I** optanti, ut mecum sis. **Q U I D rectum sit,** apparet; quid expeditat, obscurum est, ita tamen, ut, si nos ijs sumus, qui esse debemus, id est studio digni, & litteris nostris, dubitare non possimus, quin ea maxime conducant, quae sunt rectissima. **ijsdem fera uerbis in ep. 2. lib. iv.** eandem extulit sententiam: Si, quid rectissimum sit, querimus; perspicuum est: si, quid maxime expediat; obscurum. si ijs sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur exp edire, nisi qd rectum, honestumq. sit: non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. **S I V D I O digni, & litteris nostris,** litteris enim optime uiuendi praecepta traduntur: quae qui non obseruat, studio, & litteris, quibus operam dat, indignum se praebet. **S i simul placebit,** mecum ire ad Pompeium. **S i n idem placebit, atque eodem,** si & tibi placebit idem, quod mihi, & ut eodem proficiamur; nec tamen rationes tuae ferent, ut statim nauigare mecum in Graeciam possis. **O M N I A ,** quae statuero & de discessu, & de tempore. **A M I C I S S I M U M iudicabo.** non potuit modestius petere, & plane seruat id, quod dixerat: Non enim dimittam pudorem in rogando meum.

## Argumentum ep. 20.

**P**Urgat se Rufo, querenti per litteras, quod rationes prouinciae ad aerarium, eo non exspectato, Cicero deferre properasset; cum ipse uel addita, uel immutata quaedam in ijs cuperet. Haec argumenti summa est: partes autem singulae, ob ignorantem historiae, fortasse non satis apertae. nos in tollenda obscuritate pro uiribus enitemur. Annus epistolae uidetur esse, Marcello, & Lentulo cos. exorto iam ciuili bello: quod is maxime locus indicat: Pro ea spe facultatum, quam tum habebamus. tempus autem anni post hiemem, id est aliquanto post relatas rationes, ut infra demonstrabitur. nam rationes, quas Rufus, cum ipso ad urbem non collatas, referri ad aerarium noluerat, unde argumentum epistolae manauit, quis dubitet, continuo post redditum Ciceronis relatas esse? quod ipse iustis de causis a se factum dicit.

**Cicero S. D. Rufo.** 20.

**Q**uo modo potuissim, te conueniensem, si eo, **mei commodi cauſa commouere me noluisti:** tamen ita quo constitueras, uenire noluisses. quare, eti **existimes uelim, me antelatissimum fuisse, si ad me misisse,** uolunta-

uoluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quae scripsisti, commodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius scriba meus, adesse: a quo mibi exploratum est, in rationibus dumtaxat referendis, (de ceteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse sciendum, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam: demde, si rationum referendarum ius uetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro coniunctione nostrae necessitudinis contulisset, consecuisseque, non fuisse, quod igitur fecisset ad urbem, si consuetudo pristina maneret, id, quando lege Iulia relinquere rationes in provincia necessarie erat, easdemq. totidem uerbis reserue ad aerarium, feci in provincia, neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: sed tribuiti tantum, quantum me tribuisse numquam paenitebit. totum enim scribam meum, quem tibi video nunc esse suspectum, tibi tradidi. tu ei M. Minidum, fratrem tuum, adiunxisti. rationes confessae me absente sunt tecum: ad quas ego nihil adhibui praeter legationem, ita accepi librum a me seruo scriba, ut eundem accepimus a fratre tuo. si honos is fuit, maiorem tibi habere non potui; si fides, maiorem tibi habui, quam paene ipsi mibi. si prouidendum fuit, ne quid aliter, acibi & honestum, & utile esset, reserretur: non habui, cui potius id negotiorum darem. Illud quidem certe factum est, quod lex iubebat, ut apud duas ciuitates, Laodicensem, & Apameensem, quae nobis maxime uidebantur, quoniam ira necesse erat, rationes confessas, & consolatas deponebamus. itaque huic loco primum respondeo, me, quamquam iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturum fuisse, nisi in provincia relias rationes prolati haberes. Quamobrem, de Volusio quod scribis, non est id rationum. docuerunt enim me perit homines, in his cum omnium peritissimus, tum mihi amissimus C. Camillus, ad Volusium transferri nomen a Valerio non potuisse, sed praedes Valerianos teneri. neque id erait H-S XXX ut scribis, sea XIX. erat enim cura nobis pecunia Valerij mancips nominis: ex qua, reliquum quod erat in rationibus, reruli. sed sic me et liberalitatis fructu prius, & diligentiae, &, quod minime tamen labore, mediocris etiam prudentiae: liberalitatis, quod manus scribae mei beneficio, quam meo, legatum meum, praefectumq. maxima calamitate leuatos, cum praesertim non deberent esse obligati: diligentiae, quod existimas, de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec scisse me quidquam, nec cogitasse; scribam, quidquid uoluisse, cum id mihi ne recitasset quidem, retulisse: prudentiae, cum rem a me ne insipienter quidem cogitata putas. nam & Volusij liberandi meum fuit consilium: &, ut multa tam grauis Valerianis praedibus, ipsiq. T. Mario depelleretur, a me inita ratio est: quam quidem omnes non solum probant, sed etiam laudant. &, si uerum scire uis, hoc uni scribae meo intellexi non nimium placere. sed ego putauisse uir boni, cum populus suum feruaret, consulere fortunis tot uel amicorum, uel ciuium. Nam de lego est ita aetum, ut auctore Cn. Pompeio ista pecunia in fano poneretur. id ego agnoui meo iussu esse factum. qua pecunia Pompeius

est usus, ut tua, quam tu deposueras, Sextius. sed hoc a te nihil intelligo pertinere. Illud me non animaduerisse moleste ferrem, ut adscriberem, te in fano pecuniam iussu meo depositisse, nisi ista pecunia grauissimis esset, certissimisque monumentis testata, cui data, quo s. c. quibus tuis, quibus meis litteris P. Sextio tradita esset. Quae cum uiderem tot uestigij impressa, ut in his errari non posset: non adscripsi id, quod tua nihil referebat: ego tamen adscripsi mallem, quando id te video desiderare. Sicut scribis tibi id esse referendum, idem ipse sentio: neque in eo quidquam a meis rationibus discrepabunt trae. addes enim tu, meo iussu: quod ego numquam addidi; nec causa est, cur negem; nec si esset, & tu nolles, negarem. Nam de H-S non genitis millibus, certe ita relatum est, ut tu, siue siater tuus referri uoluit. sed, si quid est, quando de lego parum pronum est, quod ego in rationibus referendis eriximus corrigere possim: de eo mihi, cum s. c. non sim usus, quid per leges liceat, considerandum est: te certe in pecunia exacta ita efferre, ex meis rationibus relatis non oportuit: nisi quid me fallit: sunt enim alii peritores, illud cane dubites, quin ego omnia faciam, quae interesse tua, aut etiam uelle te existimet, si illo modo facere possim. Quod scribis de beneficiis, scito a me & tribunos militares, & praefectos, & contuberniales dumtaxat meos delatos esse. in quo quidem ratio me fecellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari: postea certior sum factus, triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulisse. sane moleste tuli, non illa beneficia tuae potius ambitioni reservata esse, quam meae, qui ambitione nihil uteor. de centurionibus tamen, & tribunorum militarium contubernalibus res est in integro: genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de H-S centum millibus, de quibus memini mihi a te Myrina litteras esse allatas, non mei errati, sed tui: in quo peccatum uidebatur esse, si modo erat, fratri tui, & Tullij. sed, cum id corrigi non posset; quod iam depositis rationibus ex provincia dececessimus: credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate, proq. ea spes facultatum, quam tuum habebamus, quam humanissime potuerim scripsisse: sed neque tum me humanitate meorum litterarum obligatum puto, neque tuum bodie epistolam H-S centum millibus sic accepisse, ut iij accipiunt, quibus epistolae per haec tempora molestiae sunt. simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quae ad me saluis legibus peruenisset, Ephesi apud publicanos depositisse: id fuisse H-S XXII. eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse. quod ego siue aequo animo fero, siue iniquo: tu de H-S centum millibus aequo animo ferre debes, & existimare, eo minus ad te uel de tuis cibarij, uel de mea liberalitate peruenisse. quod si mihi expensa ista H-S centum tulisses: tamen, quae tua est suauitas, quiq. in me amor, nolles a me hoc tempore aestimationem accipere. nam, numeratum si cuperem, non erat. Sed haec iocatum me putato, ut ego te existimo. ego tamen, cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, si quid ad rem putabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi uelim, causa nulla est. Vale.

**S**I . AD me misisses, } si mihi significasses, eo te uenisse, quo antea constitueras. Mittere ad aliquem, interdum est, non solum missō nuncio, sed missis etiam litteris aliquid significare: ut ad Tironem ep. 9. lib. vi. Curio misit, ut medico honor haberetur; & tibi diceret, quod opus esset. qua de re scripscerat iam ad eundem his uerbis: Scripsi ad Curiū, quod dixisses, daret. medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Significatio autem per nuncium, non per litteras, facta, illa est in ep. 8. lib. xi. Eo tempore Polla tua misit, ut ad te, si quid uellem, litterarum darem, cum, quid scriberem, non habebam.

**M. TULLIUS, scriba meus,** } Ciceronis libertus, fortasse Laurea cognomento, cuius egregios uersus, in Ciceronis Academiam scriptos, recitat Plinius lib. xxxi. cap. 2. quod si quis dixerit hunc esse M. Tullium Tironem; qui & ipse, libertate donatus, patroni praenomen, & nomen astumpsit: negabo: quia Tiro liberatus est posteaquam e prouincia ad urbem Cicero rediit: at ille scriba, qui rationes in prouincia tractauit, libertus omnino fuit. Scribas enim seruos non fuisse, ex eo constat, (ut alia, quae multa occurserunt, argumenta præterea) quod Romanis omnes nominibus appellatos uidemus. IN rationibus dum taxat referendis, } quas M. Tullius scriba ad aerarium retulerat, ex more, nam in oratione in Pisonem, Rationes, inquit, ita sunt perscriptae scite, & literate, ut scriba, ad aerarium qui eas retulit, &c. Interea Cicero proconsul, quia cum imperio erat, spe triumphandi extra urbem manebat, nec interiit, nisi post Pharsalicam pugnam, abiecta demum triumphi spe. **I**VS **uetus, & mos antiquus** } cum, lege Iulia nondum lata, rationes in prouincia non relinquebantur, tunc enim eas ad urbem rectores prouinciarum cum suis quaestoribus conferebant. PRO coniunctione nostrae necessitudinis } de qua uide ep. ult. lib. 2. & 26. lib. xiii. & in Diuinatione, & pro Plancio. **L**E<sup>G</sup>E **Iulia** } a C. Iulio Caesare in primo consulatu lata. uide ep. 17. lib. 2. **R**E<sup>L</sup>I<sup>N</sup>Q<sup>V</sup>E<sup>R</sup>E **rationes in prouincia** } apud duas ciuitates, ut infra.

**A. MEO seruo scriba,** } dixi iam, scribarum ordinem & ciuibus Romaniis fuisse: quare seruus hic appellatur, non quia seruiret, (iam enim liberi hominis praenomine, & nomine, M. Tullius dictus est) uerum memoria præteriti temporis, quo apud Ciceronem in seruitute fuerat. & fortasse ita locutus Cicero, ut ipsa referret Rusi uerba, exprobrantis, quod rationes ita Cicero ad aerarium retulisset, ut a seruo suo scriba eas accepisset. **M**AIOR E M **tibi habere non potui;** } quia totum scribam meum tibi tradidi. **Q**UAM **paene ipsi mihi.** } quia permisi, ut rationes tecum, absente me, conficerentur; nec ad eas posset quidquam, præter lectionem, adhibui. **E**T **honestum, & utile** } notanda copia: supra enim dixit: Nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam. **C**VI **potius id negotij darem, quam darem.** } sic omnes, quos ego uiderim, scripti libri, tribus exceptis, duobus M. Antonij Maffei, tertio, quem uir doctissimus, idemq. omnium humanissimus, Io. Vincentius Pinellus, emptum ex Leonici Thomae bibliotheca, mihi dono dedit. in ijs non est, Quam darem, sed, Quam tibi, quod mihi tamen (ut, quod sentio, dicam) subabsurdum, atque etiam falsum uidetur. non enim id ei Cicero negotij dedit, sed scribae suo: cui deinde Rufus fratrem suum adiunxit. quare crediderim illud, Quam darem, siue, Quam tibi, abundare, additum ab imperito, qui putaret id per se consistere non posse, Cui potius id negotij darem. quod ita consistit, si subaudiatur, Quam Tullio, scribae meo. adiuuat opinionem nostram Maffei liber, in quo tantum illud est, Cui potius id negotij darem: in margine autem, Quam tibi. **Q**UAE **nobis maxime uidebantur,** } ob utriusque dignitatem. Strabo lib. xvi. ait eas ob concordiam sorores uocatas, & utramque conditam a Seleuco Nicatore, Apameamq. de uxoris eius nomine, Laodiceam ex matre nuncupatam. idem lib. xii. uocat eas Phrygiatum urbium maximas. **C**ON<sup>S</sup>O<sup>L</sup>V<sup>T</sup>A<sup>S</sup> } sic antiquus liber Fulvij, & duo Maffei, & Mediceus: alius, Consolatas; tres, Consolatas: unus Maffei, Consolidatas. quod mihi non placet. primum offendor insolentia uerbi: deinde, quanam ista consolidatio esse potuit? Consignatas, malim, aut, Conlatas. nam eas cum quaestore conferri in prouincia oportere, & conlatas iam esse, dixit. fero tamen, Consolatas, non solum quia sic est in tribus antiquis libris: uerum etiam, quia pro, absolutas, accipi potest: ut a, Confactas, ita differat, quemadmodum differt, Absoluere, a Perficere. unde lib. 2. de nat. de. In omni natura necesse est absolui aliquid, aut perfici. **D**E **Volusio quod scribis,** } Volusius, multae nomine, magnam pecuniae uim publice debebat. eam pecuniam Valerius periculo suo exigendam a Volusio suscepserat, praedesq. dederat: quos puto Ciceronis legatum, & praefectum fuisse, id enim sequentibus uerbis indicatur. uidetur autem Cicero, cum rationes conficeret, Volusium liberare uoluisse, & a praedibus multam amouere; ut corum fortunis consuleret. quod eius confilium, & factum infra demonstratur. contra Rufus Valerium quidem, & praedes liberare, sed nomen illud a Valerio ad Volusium transferre cupiisset. quod Cicero, ex amicorum, præcipueq. Camilli, hominis peritissimi, sententia, fieri non potuisse demonstrat: aut enim Valerij mancipijs praedes teneri, qui se pecuniam illam, a Volusio debitam, curatueros iam promiserant: aut, si praedes liberandi essent, Volusium quoque simul oportere liberari, quod utrumque ut fieret, rationem a se initam esse, infra Cicero dicit. **N**O **n** **e** **f** **i** **d** **r** **ationum.** } in rationibus id fieri non poterat: huic rei, quanto uoluisse video, locus in rationibus non fuit. **C. CAMILLVS,** } is, opinor, quem, ut sibi amicissimum, nominat in ep. 20. lib. ix. & ep. 14. lib. xiv. & ad Atticum ep. 5. lib. v. & ad eundem ep. 16. & 23. lib. xi. **P**RAEDE<sup>S</sup> } Varro lib. v. dissimiles ait esse Praedem, Vadem, Sponsorem: & Praedem esse, qui, a magistratu interrogatus, in publicum ut praefest; a quo, & cum respondeat, dicitur Praes. sic & Fe-  
stus,

stis, Praes, inquit, est is, qui populo se obligat, interrogatusq. a magistratu, si praes sit, responderet, Praes HS XXX, scutati nongenti. **XIX.** scutati quingenti septuaginta. **CVRATA** pro Volusio debitore. **MANCIPIS** Manceps dicitur, qui aliquid conductit, aut suo periculo faciendum exigendum uereditur: quod in Volusiana pecunia Valerius, datis praedibus, fecerat. **Ex. QVA,** reliquum quoderat } praeter id, quod curatum esse dixit Valerij mancipes nomine; quod in rationes relatum non esse, inita de Volusio, praedibus, liberandis ratione, infra significat; reliquum nescio quid vel Volusius ipse, vel pro Volusio Valerius soluerat: quod in rationibus prescriptum, Cicero ad aerarium retulit.

**IN rationibus, retuli.** Referre in rationes, & in rationibus, diuersa sententia dicitur: in rationes, cum nomen aliquod in conficiendis rationibus inter cetera nomina perscribitur; in rationibus, cum aliquid una cum reliquis rationibus ad aerarium refertur. **QVOD minime tamen labore,** hoc dixit, ne prudentialae laudem appetere videatur: quod uanitatis est. congruit cum hoc loco praeclarum illud in epistola ad Catonem lib. xv. Si quisquam fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem sentire videor, ratione, atque doctrina ab inani laude, & sermonibus vulgi; ego profecto is sum. testis est Consulatus meus: in quo, sicut in reliqua uita, fateor ea me studiose secutum, ex quibus uera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se numquam putaui expetendam. In epistola tamen ad Dolabellam, lib. ix. Sum, inquit, audior etiam, quam satis est, gloriae. Et pro Archia: Iam me uobis, iudices, indicabo; & de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, uerum tam honesto, uobis constiebor.

**LEGATVM meum, praefectumq.** alij legunt, Praefectumq. Q. Leptam. nos olim sustulimus, Q. Leptam, auctoritate quidem ueteris libri, sed multo etiam magis ratione adducti. cur enim Cicero praefecti sui nomen ponat, legati praetermittantur quasi uero ad alienum & ignotum hominem scriberet, non ad quae- storem suum, qui & legatos, & praefectum fabrum, & uniuersam proconsulis Ciceronis cohortem optime nouerat. praeterea res hic agitur Rufo notissima, de qua etiam ipse ad Ciceronem scriperat: ut ei praedium Valerianorum nomina significari, nequaquam necesse fuerit. Vnde igitur praefecti nomen huc irrepit? Notum est hominibus emendandi peritis, quanta sit facta labes in optimis libris eorum inscrita, qui, cum libros describerent, uerba interpretantia, a studiosis adiecta, non agnoscentes, omnia permiscabant. eodem errore, ut opinor, inter uerba Ciceronis receptum est, Q. Leptam: cum nescio quis, eum in Cilicia praefectum fabrum cum Cicerone fuisse, ex ep. 7. lib. 111. didicisset. adscribere legati nomen non potuit: quia coniunctio facillimum non erat, quis ex quattuor cum praefecto praes Valerij fuisse. quattuor autem fuisse Ciceronis legatos Q. fratrem, C. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium, ex ep. 4. lib. xv. & alijs cognoscitur. Accedit auctoritas ueterum duorum librorum, unius Vincentij Riccij, quo sum usus adolecens, ut eo tempore in Scholijs meis testatus sum; alterius, quo nunc utor, M. Antonij Maffei, a quo abest praefecti nomen. tertius est apud me liber, cuius in margine scriptum video, Q. Leptam: cum a continuatione uerborum Ciceronis absit. **MAXIMA calamitate leuatos,** ex his uerbis coniunctio, inter praedes Valerianos legatum, & praefectum fuisse. nam & infra dicit: Ut multa tam grauis Valerianis praedibus depelleretur, a me inita ratio est. **NON deberent esse obligati:** caussam non addit: sed hoc puto ad aequitatem potius, quam ad ius referri. praedes enim qui sunt, omnino tenentur, nisi satisfacit is, pro quo praedes facti sunt. uerum aequitatis uidetur esse, consulere fortunis eorum, qui humanitate adducti pro aliquo se obligarunt, eqq. magis, si ciues, & amici sint. id ut fieret, ita rationem Cicero iniuit, ne quid tamen populus amitteret. quod infra quasi gloriatur. **TANTO officio meo,** cum populi Romani res ageretur, quam curare debet proconsul. **TANTO etiam periculo,** si quid enim scriba erraret in rationibus, aut improbe committeret, non in eum, sed in proconsulem, cui mandata populares est, culpa conferretur. **CVM id ne recitasset quidem,** cum id, non modo me non iubente, sed etiam insiciente, in rationes retulisset. Recitassem, dixit, quia scriba prius ea scribebat, quam in tabulas referret; nec referebat, nisi cum proconsule communicasset. **PRUDENTIAE, cum rem a me non insipienter excogitatam quidem putas.** sic plane in omnibus meis ueteribus libris, duobus exceptis, in quibus est. Non insipienter quidem excogitata: & uno, a quo abest Non. uerum ne sic quidem locus mendo uacat. non magna mutatio fiet, si legatur: Ne insipienter quidem excogitata. nam, quod nonnulli legunt, Non insipienter excogitata, ne cogitata quidem putas: id ego, quod ad sententiam attinet, non improbo: sed, quia plus additur, quam emendandi moderata ratio postulet, malui notam apponere indicem errati, quam ex fallaci, & lubrica coniectura, immodico praesertim additamento, librum immutare. **MULTA tam grauis** reorum damnatorum alibi est multa, hic & praedium, & mancipes Valerij, ut quidam arbitrantur; ut mihi uidetur, praedium tantu. quod enim a mancipe soluitur, qui de publico aliquid redemit, id ego multa dici posse uix crediderim. quippe cum sit ea non inopinata solutio: praefstat enim, quod et promisit, cu redimeret, & omnino se praestituru putauit, at praes promisit ille quidem pro alio: fore tamen, ut ipse depedat, neque putas, et si acciderit, moleste fert. quare nomine multae in praedes recte concounit, qui soluit in uiti, magistratu cogente, sicuti qui a iudicibus damnantur: in ipsum Valerium non cadit, qui cum soluit, praeter opinionem nihil facit. Hoc ideo dixi, ne quis miretur dissentire me ab ijs, qui proxime pro, T. Mario, legunt, T. Valerio: ut de multa Valerio quoque mancipi depellenda dicatur. ego enim unum ex praedibus arbitror fuisse T. Marium; & Ciceronem hoc dicere, initia a se ratione, non modo ut legatus eius, & praefectus, quibus praecipue cauere deberet, uerum etiam ut ipse T. Marius, qui de sua cohorte non esset, maxima calamitate leuaretur. **NON solum probant, sed etiam laudant.** multa probamus sine laude, ut ea, quae recte communiter fiunt: laudamus autem nihil quod idem non probemus, & in quo praecepsa quacdam uirtutis, & ingenij significatio non eluceat. **CVM populis suum seruaret,** ita fortunis consulere

consulere tot uel amicorum, uel ciuium, ut populo tamen nihil adimeret. Apparet ingenium Ciceronis, qui ratione in inuerit, qua cum satis faceret humanitati, depellenda amicis, & ciuibus tam gravi multa, honori tamen suo, re populi conseruata, non decessit. populi autem esse dicebatur, & erat, quod in aerarium, ex quacumque re collectum, inferebatur. unde, Cauere populo, ualeat, caueret ne quid aerarium detrimeti patiatur. Luidius lib. vii. Tarda nomina, & impeditoria inertia debitorum, quam facultatibus, aerarium, mensis cum aere in foro positis, dissoluti; ut populo prius caueretur. **T o t** uel amicorum, uel ciuium, communi quodam iure cum ciuibus, proprio cum amicis coniungimur. itaque priore loco amici, deinde ciues nominantur. amici autem, ac necessarij Ciceronis, legatus, & praefectus, qui tamen ijdem ciues erant: ciues uero tantum, non etiam amici, T. Marius, Valerius, Volusius. **N A M . D E l o g o }** Particula, Nam, saepe lectorem commode traducit ad diuersam sententiam. ut hic, & infra, Nam de H-S non gentis millibus. & ep. 9. lib. i. Nam de Appio, quod scribis, sicut de Caesare, te non reprehendere: gaudeo tibi consilium probari meum. et ep. i. lib. vii. Nam quid ego te athletas putem desiderare? et ad Att. ep. 10. lib. iii. Nam quod me tam saepe, & tam uehementer obiurgas. et eodem libro, ep. 15. Nam quod purgas eos, &c. Logum fuisse famum arbitror, in quo pecuniae deponebantur: ubi pecunia quoque illa, in prouincia Ciceronis exacta, a Rufo quaestore iussu Ciceronis deposita est auctore Pompeio. Infras eadem attingitur. **A V C T O R E }** hortante, & suadente, quod uidetur ideo Pompeius fecisse, ut ea pecunia ipse postea uti posset, quemadmodum usus est. Actore, liber Mediceus, mendoce: Auctore, mei omnes. **A G N O V I }** non negauit: confessus sum, id quod res erat, meo iussu esse depositam. Agnoscer dicimur, quod uerum factum esse. ep. 4. lib. iv. Illam partem excusationis, quae te scribis, orationis paupertate, ijsdem uerbis epistolas saepius mittere, nec agnosco, nec probbo. **T V A , }** quae ad Rufum ex administratione prouinciae, saluis legibus, peruenierat. nam illa, qua Pompeius est usus, populii fuit. **Q V A M . T Y }** nullus omnino liber antiquis, quem ego uiderim, habet. Quam tu: sed alij, Quam tum: alij, Quam tamen: alij, Tamen quam: & post, Deposuerat, omnes habent, non, ut in impressis, Deposueras. quo circa ualde suspicor demendo. non enim placet, Tu, quam tu deposueras. quid? non illam quoque deposituerat, quam abstulit Pompeius? **S E X T I V S . }** nominatur inter Pompeianos, qui cum imperio fuere initio ciuilis belli, ep. 15. ad Att. lib. ii. ne dubito, quin eam pecuniam Pompeio mandante accepit, ut ea deinde in bello ex ipsius uoluntate, idest contra Caesarem uiteretur. **S E D** hec ad te nihil intelligo pertinere. de populi pecunia loquitur, a Pompeio sumpta, non de illa, quae Rufi fuerat: de qua non diceret, Hoc ad te nihil intelligo pertinere. Non est, inquit, quod labores de hac pecunia, quam, a te iussu meo depositam, Pompeius accepit: quid enim tua refert? cum exstet S. C. quo constat, cui data sit, exstent tuae, meaeq. litterae, quibus constat, cui data sit. Timebat scilicet Rufus, ne quando eius pecunia rationem reddere cogeretur; quia Cicero in rationibus non adscripsisset eam suo iussu a Rufo esse depositam. qua de re questus erat per litteras Rufus. **M O N U M E N T I S t e s t a t a , c u i d a t a , }** hoc explanatur proxime sequentibus uerbis. monumenta enim sunt, S. C. & litterae Ciceronis, & Rufi. data uero pecunia P. Sextio significatur: si modo ita legendum est, de quo subiungam, quid sentiam. **P . S E X T I O }** non hic agitur de pecunia Rufi, qua usus erat Sextius, sed de publica, iussu Ciceronis deposita: quod in rationibus omissum, questus erat Rufus. itaque legi malum, si modo per ueteres libros licet, Pompeio: quem usum ea pecunia esse, paullo ante dictum est. opinor enim pro, Pompeio, aliquem scripsisse, P. breuitatis causa, imperite scilicet: cum haec littera praenomen indicet, non gentem. inde alius, quia praenomen illud per se consistere non posse intelligeret, & Sextium paullo ante nominari animaduerterer, addidit, Sextio. Corrumphi autem iniucem haec nomina, Pompeius, & Publius, librariorum culpa, contractam scribendi rationem sequentium, ex epistola quoque non a lib. i. cognovimus. nam in eo loco, Cum, ut laudaret P. Sextium, introijslet in urbem: ueteres libri aliquot habent, Ut laudaret Pompeium Sextium: nonnulli, Ut laudaret Pom. Sextius. ex quo patet, rudes antiquitatis librarios accepisse hoc praenomen, P., pro nomine Pompej. **N O N a d s c r i p s i }** in rationibus: in quibus hoc tantum scriptum erat, pecuniam a Rufo depositam. Rufus autem illud adscribi, quod uerum erat, uoluisset, depositam a se Ciceronis iussu, ita fore ratius, ut, quocumque casu illa pecunia periret, aut in quemcumque usum esset erogata, ipse omni periculo, & eueraliberaretur. **T V A n i b i l r e f e r e b a t ; }** quia certissimis, & grauissimis monumentis testata iam ista pecunia erat, cui data esset, quo S. C. quibus tuis, quibus meis litteris. **R E F E R E N D U M , }** hinc apparet, prouinciae rationes & a proconsule, & a quaestore separatim referri solitas esse. quod opinor lege Italia, quae iam nominata est, sanctum esse. **I D E M i p s e s e n t i o :** ut addas in illius pecuniae mentione, quod ego non addidi, depositam a te esse meo iussu. **D I S C R E P A B V N T }** his aliquis objicit: immo discrepabunt; cum idem non erit in utrisque rationibus. Futilis obiectio. non enim in eo discrepant rationes, cum aliquid in alteris omittitur; sed cum aduersantur ea, uel dissentiant, quae in utrisque scripta sunt. & ut silentio nec affirmatur quidquam, nec negatur: ita, quod scriptum non est, ab eo, quod scriptum discrepare non uidetur. **Q u o d e g o q u i d e m n o n a d d i d i : }** Mediceus liber, Quod ego qui non addidi: mendoce: quid mirum? liber mendo nullus uacat: sed ex multis depraenatis unus ut corrigatur, opera dari solet. emendatores hic libri quattuor, Sigicelli unus, alter Fulvij Vrsini, duo Maffei: habent enim, Quod ego quidem non addidi. **N E C c a u s a e s t , c u r n e g e m :** iussu meo illam pecuniam a te depositam, causam, cur neget, non esse dicit, ut ostendat abesse periculum, de quo Rufus metuere uidebatur, ne quando eius pecuniae, qua Pompeius usus erat, ratio exigetur, cum instare uideretur mutatio temporum, comitato ciuilis bello. **E t t u n o l l e s , }** negari a me, obsequerer uoluntati tuae, uel, si quid esset caussae, cur negarem, idest, etiam si molestiam aliquam ex ea pecunia timerem. **H - S n o n g e n t i s m i l l i b u s , }** scutatum

rum nostrorum **xxvii** millibus. **S I V E** frater tuus? M. Mindius, qui rationes cum scriba conferat. **D E L O G E O?** de fano. supra. **P A R V M** gratiosum est, sic libri veteres quinque: alij, Gauisum est. utrumque mendosum. nam, Gratiosum. de inanimatis rebus non dicitur: sed gratosi homines appellantur. Nec, Gauisum est, politus litteris quisquam probauerit. Mediceus liber, Grauium. Corrado placuit, Gratum usum: nobis olim, Prouisum: quod nec a Grauisum longe distat, nec sententia caret. nam in eo dicit parum esse prouisum, quia, cum pecunia illa deponeretur, additum non erat, deponi iussu Ciceronis proconsulis. de quo supra. **R E F E R E N D I S?** quo modo, referendis, cum & supra relatas iam esse dixerit, & infra idem significet? Accipio, Referendis, pro, in relatione rationum, dum rationes referuntur: ut praesenti tempore utatur Cicero ob eam causam, quia corrigerre aliquid etiamnum in relatis iam rationibus licebat. properea subiunxit, Quid perleges licet. quae uerba demonstrant, non esse ademptam corrigit faculatem, sed corrigi non omnia licere: itaque Rufu uidendum, quid a Cicero ne petat: nihil enim contra leges imperaturum. **C Y M S. C. n o n s i m u s,**? uideui Cicero temporis aliquanto plus decreto senatus habuisse ad rationes referendas, quam legibus: quo tamen tempore uti noluit, sed rationes confessim retulit, iustis de causis, ut supra dixit, metu scilicet exorientis belli ciuilis. **Q U I D p e r l e g e s l i c e a t, c o n s i d e r a n d u m e s t?**? modeste significat, uelle quidem se aliquid corrigerre in rationibus ex Rufi uoluntate, sed ita, ne quid amicitiae causa contra leges committat. **T E . C E R T E** in pecunia exacta ita efferre, ex meis rationibus relatis non oportuit: libri aliquot scripti, etiam Mediceus, Pecuniae exactae: nonnulli, Ista offerre. Placet idem, quod olim, Pecunia exacta, non eadem tamen sententia, quae olim placuit. non enim illud, Te efferre, significare nunc arbitror: iracundiam Rufi, qua sit elatus, quod Cicero pecuniae ab illo exactae mentionem nullam in rationibus referendis fecisset; uerum ad erga tam a Rufi pecuniam refero, cum sciret, eam scriptam esse in rationibus iam relatis. Ut in exacta, inquit, pecunia ita efferves, ita ergares, ex meis rationibus relatis non oportuit: id est: per meas rationes tibi non licet. Hanc nostram opinionem adiuuare uidentur & superiora uerba: Deo mihi quid per leges licet, considerandum est; & quae sequuntur proxima: Nisi quid me fallit: sunt enim alij peritiores. Exactae pecuniae plus consumperat Rufus, quam scriptae rationes, praesertim iam a Cicero relatae, patuerentur: id cum in rationibus Ciceronis, ut cum suis consentirent, corrigi uellet; de eo quid sibi per leges licet, considerandum Cicero respondet: mox indicat, non licere, subiungens Non oportuit. atque in hac opinione, possum, inquit, falli: sunt enim alij peritiores. Ut Rufum quodam modo consoletur. **A V T** etiam uelle? etiam situa non intersit. **S I V L O** modo facere possem. id est, si per leges licet. **D E** beneficijs, pro consules, praetores, atque etiam, ut hic locus indicat, quaestores, cum ad urbem a prouincijs reuertissent, eorum nomina post relatas rationes ad aerarium deferebant, quorum strenua fideliq. opera usi essent. hi autem erant ex ijs, quos secum in prouinciam duxerant, qui deferri in beneficijs dicebantur; quod eorum uirtus, ac fides reip. profuisset. in quo erat eorum, qui deferebant, ambitio quaedam, ostendendis non modo suis, uerum aliorum quoque beneficijs in rem. Detulerat igitur Cicero, non exspectato, quaestore, suos contubernales, praefectos, tribunos mil. quosdam autem non detulerat, ut centuriones, & tribunorum mil. contubernales: de quibus ait rem esse in integro, si Rufus eos deferre uelit. Morem hunc ostendit oratio pro Archia: In beneficijs ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore, & consule. **T R I B V N O S** mil., duodecim. seni enim creabantur in singulis legionibus, ut Polybius docet. legiones autem duas, qui consularis erat exercitus, in prouincia Cicero habuit: quod ipse ad Atticum scribit ep. 15. lib. v. & Plutarchus idem narrat in eius uita. Tribunos mil. primo tres fuist, qui singulis tribubus, a Romulo institutis, praeesserent, deinde sex, interiecto tempore sexdecim, postremo xxiv, ut seni essent in singulis legionibus, Liuius, Polybius, alij declarant. Creati primum ab ijs, qui exercitibus praeesserent, mox populi suffragio: ut interdum tamen, in apparatu maximi belli, consulum, praetorumq. arbitrio deligerentur, postremo, telle Pediano, partem eorum imperatores fecere, qui Rufuli uocabantur, partem populus, qui Comitiati. Idem ex Festo, licet mutilato, colligi tamen uidetur posse: qui etiam Rufulorum nominis, omissem e Pediano, & alijs, causam ponit, quod Rutilius Rufus de eorum iure legem tulisset. **P R E A F E C T O S,** equitum, uide ep. 17. lib. 2. ne repetantur eadem. **C O N T U B E R N A L E S?** nobiles adolescentes cum consulibus, & proconsulibus, & praetoribus etiam, ut rerum usu mature instruerentur, in prouincias exibant. pro Cocio: Profectus est in Africam Q. Pompeio contubernalis, pro Plancio: Adolescentulus cum A. Torquato proiectus in Africam, sic ab illo dilectus est, ut & contubernij necessitudo, & adolescentuli modestissimi pudor postulabat. In Bruto: Quise illi contubernalem fuisse dicebat. Suetonius de Caesare: stipendia prima in Asia fecit, M. Thermi praetoris contuberno. In urbe etiam contubernales erant consulum: Cicero in consulatu, quem peregit in urbe, contubernales habuit, unde illud in ea pro Sulla: Lucius ille Torquatus, cum esset meus contubernialis in consulatu. **R A T I O m e f f e l l i t:** Ratio hic pro opinione, quam ratiocinatio peperit, accipitur. **T R I G I N T A** diebus deferri necesse est, quibus rationes retulism. non vulgaris loquendi modus. est enim, Triginta diebus, quibus rationes retulism: pro, triginta diebus postquam rationes retulism. tempus defrendi trigesimo die a relatis rationibus definiebatur. Conflat ex hoc loco, relatas prius ad aerarium rationes, quam defrenuerit ij, qui bene de rep. meriti essent. **N E C E S S E** ejse, lege Iulia iubente: quae significatur etiam paullo post. **R E S** est in integro: licet tibi eos deferre. **G E N Y S** enim horum beneficiorum, deferendis centurionibus, & tribunorum mil. contubernalibus certam dicim lex non definiebat: tribunis autom mil. praefectis, & contubernalibus, de quibus facta paullo ante mentio est, spatium triginta dierum. **H-S centum millibus:** scutatorum tribus millibus. **M E M I N I** ergo ab eo tempore dies intercesserant multi.

multi. quo licet intelligere, non statim Ciceronem postquam ad urbem redijt, hanc epistolam scripsisse.  
**M Y R I N A .** Libri duo, Sigicelli, & Fuluij, habent, Smyrna. reliqui, Myrina. utraque nota urbs, Smyrna in Ionia, Myrina in Aecolia. quis potest diuinare, ex utra scripsit Rufus eas litteras. Smyrna quidem nauiganti in Italiam Mescinio propinquior, & commodior. **N O N** *mei errati, sed tui:* erat in rationibus, antea scripsit Rufus: quod nisi corrigeretur, H-S centum millia sibi esse de suo persoluenda, rescripsit Cicero, corrigi non posse, quia rationum exemplum in prouincia deposituerat, a quibus discrepare non oportet eas, quas ad aerarium relaturus esset: sed tamen ei pro suis facultatibus benigne commodaturum. aliquanto autem post scripsit Rufus eas litteras, quibus Cicero nunc responderet. **F R A T R I S** *tui, & Tullij.* qui rationes, absente Cicerone, confecerant. supra. **D E C E S S I M V S :** sic omnes, quos uiderim, ueteres libri. a quibus olim discedendum putabam, & legendum, unius litterae mutatione, Decessemus. nunc me ipse reuoco, & ita statuo, sincopem esse non posse in iis uestib. quorum in posteritis ultima syllaba est, si: ut Cedo, Cessi, Cesssem, non Cessem. codemq. modo in compositis, decesso, recedo, incedo, discedo, concedo. **C R E D O** ita loquitur ut de re non recenti, quae potuit, spatio interiecto, effluere ex memoria. **P R O** animi mei uoluntate, ut eram animatus, pro animi mei sensu. Eodem modo animus uelle dicitur: ut Varro lib.v.L. Animus ita est, ut puncto temporis peruellet, quo uult. Et in orat. post.red.ad Quir. In studiis nostris tanta animorum declarata est uoluntas. Et Lucretius lib.2. Ex animiq. uoluntate id procedere primum. Idem lib.4. Ergo animus cum se sita comiriuet, ut uelit ire. Iudicium animi, lib.2.de orat.& lib.111. bis. **F A C U L T A T V M ,** hoc nomen lat: patet: itaque dixit Cicero lib.1. de Invent. Facultates sunt, aut quibus facilius sit, aut sine quibus aliquid confici non potest. Et pro Rabirio: Quae si in illo minimâ fuissent, tamen prae tuis facultatibus maxima putarentur. & in Partitionibus, uires, animus, copiae, opes, tempus, locus, Facultatum nomine comprehenduntur. Facultatum, ait, confirmatione utetur, si aut uires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum. Sumuntur & pro occasionibus commodorum, ut ep.15.ad Att.lib.1. Expónis, quas facultates aut prouincialium, aut urbanorum commodorum & aliis temporibus, & me ipso consule praetermisseris. Transferuntur ad significacionem rei familiaris, ut ep.13.lib.xi.ad Att. Velim con sideres, ut sit, unde nqbris suppeditentur sumptus necessarij. si quas habuimus facultates, eas Pompeio detulimus. Et in Verrem lib.2. Sthenius ab adolescentia paullo studiosius haec comparabat, supellecilem ex aere elegantiorē & Deliacam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferabant, sati. **Q V A M** tum habebamus, distat igitur hoc tempus ab eo non parum, quo redijt ex prouincia: cum & hic, Tum, & proxime dixerit, Memini, &, Credo. nec uero dubie significat, ad arima rem esse deductam, amissa spe facultatum, quam ante habuerat. **O B L I G A T V M** deberi sibi a Cicerone mutuam pecuniam ex litteris ab eo antea humanissime scriptis, Rufus ostenderat. **M O L E S T A E** quia pecuniam a debitoribus poscunt, quae propter belli difficultatem expedita non est. propterea dixit Caesar lib.111.bell.ci. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur; constituit, ut arbitri darentur, per eos fierent aestimationes possessionum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque eae creditoribus traderentur. **P E R V E N I S S E T,** ex administratione Ciliciensi. de qua pecunia sic ep.17.lib.2. Omnis pecunia ita tractatur, ut praeda a prefectis. quae autem mihi attributa est, a quaestore curetur. **E P H E S I** urbs Ioniae nobilis fuit, extra Ciceronis prouinciam, cui praefuit, Cicerone proconsule, Q. Thermus. ut patet ep.ad Att.13.& 14.lib.v. **A P V D** publicanos Ciceronis amantissimos, eq.ca- rissimos: erant enim equestris ordinis: quem ordinem consul cum senatu in gratiam reduxerat. uide illud in ep.8.lib.1. Ordinem coniunctissimum. & ad Att.ep.15.& 16.lib.1. **H-S X X I I .** parua summa, scutati D C L X . itaque legendum opinor, Bis & uicies, ut est in ep.1.lib.xi.ad Att. In cistophoro in Asia habeo ad H-S bis & uicies. loquitur de hac Ephesi deposita pecunia, nam Ephesus in Ionia: quae regio est Asiae. sunt autem, bis & uicies, scutatorum L X V I . millia. **O M N E M** partem potius, quam omnem: nam Cicero partem exegit, & apud Egnatium trapezitam deposituit, ubi tutius fore uidebatur. hodie ad Atticum scriptae epistolae, secunda, & tertia lib.xi.declarant. in prima scripsit haec Cicero: In cistophoro in Asia habeo ad H-S bis & uicies. In secunda, Ex ea, inquit, pecuniae, quae fuit in Asia, partem dimidiā fere exegi. tutius uidebatur fore ibi, ut est, quam apud publicanos. In tertia sic: Pecunia apud Egnatium est. sit a me, ut est. Deinde subiunxit eodem in loco: Etsi ego rebus omnibus: quod is quoque in angustijs est, qui cum sumus: cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes, nobis, constitutis rebus, eam rem etiam honori fore. Et ad eundem ep.13.eiusdem libri: Si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cum id uidebamur sapienter facere, detulimus. Quare fictam excusationem attulit Cicero tempori seruiens, tum ut de H-S centum millibus Rufum consolaretur exemplo iacturae suae; tum etiam, ut ei, mutuam pecuniam, tamquam ex promisso debitam, poscenti, iustius negare uideretur. **D E . H-S** *veniū mīllibūs* quac Rufus aerario debebat, ex relatis a Cicerone rationibus: sed erratum scripsit, idq. corrugendum. rescripsit Cicero, corrigi non posse; uerum se de suo, quantum posset, ei commodaturum. **C I B A R I T S ,** publice datis. **D E . M E A** liberalitate cum aliqua exprobratione dictum. **M I H I** expensa tulisse: mihi commodaſſes. **A E S T I M A T I O N E M** accipere. posſessionem aestimatam accipere pro pecunia mihi commodaſſes. Hic locus uidetur indicare, scriptam hanc epistolam Caſare iterum, & Seruilio iterum eos. post latam a Caſare legem de aestimandis posſessionibus, quanti quaeque ante ciuile bellum fuissent; ut debitoribus consuleretur; quorum erat in qua condicio, iacentibus praediorum pretijs: quod fere solet in bellis cuenire. dicebantur autem posſessiones il-

nes illae, aestimationes, ut ep. 16. lib. ix. & ep. 18. eiusdem libri. Rufus, cum Caesar consulatum secundum, in quo legem illam tulit, interit post illud tempus, quo Cicero ad Pompeium in Graeciam transiit; (nam, Caesare in Hispaniis contra Pompeij legatos bellum gerente, Cicero transiit; ut ex epistola ultima lib. x. ad Att. intelligitur) Cicero autem hanc ad Rufum epistolam in Italia scripsit; quod indicant primae epistolae ierba, & multo etiam magis illa, quae in extremo fere sunt; Cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te: ratio persuadet, hanc epistolam & ante secundum esse scriptam Caesaris consulatum, & ante perfectionem Ciceronis in Graeciam. Aestimationem igitur accipio pro possessione aestimata, non ex lege Caesaris, quae lata nondum erat, sed ut aestimabantur res, quas inopes a pecunia debitores creditoribus dabant. Sic & Liuinus loco iam citato, lib. vii. Tarda nomina, & impeditiora inertia debitorum potius, quam facultibus, aut aerarium, mensis cum aere in foro positis, dissioluit, ut populo prius caueretur; aut aestimatio aequis rerum pretijs liberauit. SCINDIS varie dixit, hic quidem Scindi; alibi Conisci, ut ep. 18. lib. vii. & Concerpito, ep. 10. lib. x. ad Atticum.

### Argumentum ep. ult. lib. 5.

**M**escinio, sui uidendi cupido, mutua se tenericupiditate significat. subiungit haec: frequentari domum suam a Caesaris familiaribus; eorum tamen sermonibus ita se non delectari, ut solitudinem, si ea uti possit, praeponat: itaque litteras colere, & ab ijs, & ab optimorum consiliorum conscientia consolationem eam petere, quam Mescinio quoque petendam censeat: Africani belli exitum appropinquari: utra pars uincat, crudelem fore uictoriam: euersam funditus esse publicam fortunam: nihil tamen ijs, qui culpa careant, horribile esse, aut pertimescendum. De congressu, neque spem affert, neque adimit. ualeutudini ut seruiat, animoq. tranquillo sit, hortatur. Index benevolentiae, ac negotialis omnino epistola, licet maior eius pars officij potius, quam negotij, sit. dixi enim a principio, spectandam esse causam, cur scribatur epistola, & ab ea sine negotiale epistolam, sine moralium uocandam. nam quae adduntur praeterea, declarandi amoris gratia, licet ad officium pertineant, quia tamen argumenti propria non sunt, nomen epistolae non tribuunt. Scripta est Caesare tertium, & M. Lepido cos. cum Caesar in Africa, aduersus Pompeij sacerorum Scipionem, & Iubam regem bellum gereret.

Cicero S. D. L. Mescinio. 21.

**C**RATAE mihi tuae litterae fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiam sine litteris arbitrabar, uidendi mei te summa cupiditate affectum esse. quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam. nam, recte cum esse, ita mihi communia omnia, quae, opto, contingant, ut uehementer uelim. etenim, cum esset major & uirorum, & ciuium bonorum, & iucundorum hominum, & amantium mei copia, tamen erat nemo, qui cum esset libentius, quam tecum; & pauci, quibuscum aequaliter libenter: hoc uero tempore, cum alijs interierint, alijs absint, alijs mutata uoluntate sint, unum mediusfidiis tecum diem libentius posuerim, quam hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum uiuo necesse erit. noli enim existimare, mibi non solitudinem iucundorem esse, qua tamen ipsa uti non licet, quam sermo-

nes eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno, aut ad summum altero. itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, litterulis nostris, praeterea etiam conscientia consiliorum meorum. Ego enim is sum, quem admodum tu facilime potes existimare, qui nihil umquam me a potius, quam meorum ciuium causa fecerim: cui nisi inuidisset is, quem tu numquam amatissimus (me enim amat) & ipse beatus esset, & omnes boni. ego sum, qui nullius uim plus ualere uolui, quam honestum otium. idemque, cum illa ipsa arma, quae semper timueram, plus posse sensi, quam illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram, quauis tuta condicione pacem accipere malui, quam uiribus cum ualentiore pugnare. Sed & haec, & multa alia coram brevi tempore licebit. neque me tamen illa res alia Romae tenet, nisi

Ff exspectatio



expectatio rerum Africanarum. uidetur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. puto autem mea non nihil interesset; quamquam, id ipsum quid interficit, non sene intelligo; ueruntamen, quidquid illine nunciatum sit; non longe abesse a consilij amicorum. est enim res ipsa iam in eum locum adducta, ut, quamquam multum interfit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter uitiosas non multum interfuturum putem. sed plane animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, de speratis confirmatus est multum; quem etiam superiores tuae litterae confirmarunt; quibus intellexi, quam fortiter iniuriam ferres: iuuitq. me, tibi cum summanam humanitatem, tum etiam tuas litteras profuisse. uerum enim scribam; teneriore mihi animo uidetere, sicut omnes fere, qui, uita ingenua, in beata, & libera cunctate uiximus. sed, ut illa secunda moderate tulimus: sic hanc

non solum aduersam, sed etiam funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debeamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc, sic affecti, non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruere isto otio; tibi persuade, P R A E T E R culpam, ac peccatum, quo semper caruisti, & carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile, aut pertimescendum. Ego, si uidebitur recte fieri posse, ad te ueniam breui; si quid acciderit, ut mutandum consilium sit; te certioram faciam statim. Tu ita fac cupidus mei uidendis, n*isi* istinc te ne moueas tam infirma ualeudidine, nisi ex me prius quaesieris per litteras, quid te uelim facere. Me uelim, ut facias, diligas, ualeudinique tuae, & tranquilitati animi seruias. Vale.

## EXPLANATIO

**I**T A mihi communia omnia, quae opto, contingant, } uerbum, Communia, video esse in omnibus teribus libris, praeter unum, qui fuit olim Hieronymi Ferrarij, nunc est Caroli Borromaci, Cardinis. in eo est, Commoda, non, Communia: quod olim probauit: cum & Plautus in Trin. similiter dixisset: Ita commoda, quae cupio, eueniunt. Nonnulli, Communia, putarunt abundare. quorum non displicet opinio. ne tamen tot librorum consensus repudietur; uidendum etiam atque etiam, an probabilis aliqua sententia elici possit, nullo nec delecto uerbo, nec mutato. Ita mihi, inquit, ea, quae opto, contingant omnia communia, ut uehementer uelim. idest: ita te rerum omnium, quas opto, participem habeam, ut esce tecum uehementer uelim. nam ad uerbum, Communia, subaudio, Tecum: ut sit: ita mihi tecum communia, quae opto, contingant omnia. Occurrit alia sententia, quam non occultare consilium est. Ita mihi res omnes publicae, quales opto, contingant. nam, Communia, & Communes res, pro publicis rebus accipi, nemo, ut opinor, dubitat. idq. uel hoc uno constat exemplo, quod obseruauiimus ep. 8. lib. 1. Ex eodem de toto statu rerum communium cognosces: quae quales sint, non facile est scribere. Communem quoque rem, dixit ep. 27. lib. vii. Communium fortunarum, ep. 12. lib. v. Hoc totum ad eruditorum hominum iudicium refero. nam ipse nihil affirmo: tantum enitor, ut ueterum librorum auctoritatem conseruem. **E T E N I M**, cum esset maior } alijs Placet. Ut enim, pro, Etenim: quia sic habent plerique ueteres libri. soloecismi species appetit. quid refert? inquiunt. quam multa praeterea huiusc generis in Cicerone deprehenduntur. His itaque, responderi uidetur posse: soloecismum, si modo libri ueteres in eo consentiant, ferendum: sin aliter, tollendum. itaque, cum habeam duos ueteres libros, unum M. Antonij Maffei, quo etiam olim, commodante eius fratre Bernardino Cardinali, usus sum; alterum Fuluij Vrsini in quibus diserte legitur, Etenim: libenter aufero soloecismum, & integritatem Cicerone dignam restituo. **E T U R I O R U M**, & ciuium bonorum, } differre putantur bonus vir, & bonus ciuis. quam distinctionem ostendimus ep. 9. lib. 1. in eo loco: Eumq. quem bonum virum semper habuisset, bonum ciuem esse pateretur. **I U C U N D O R U M**, bonitas, iucunditas, amor, caussae sunt, cur amemus, unaq. esse cupiamus. propterea dixit, Bonorum, Iucundorum, Amantium mei. quae tria coniungit in epistola etiam 24. lib. ix. Monco te, quod pertinere ad beate uiuendum arbitror, ut cum uiris bonis, iucundis, amantibus tui uiuas. **H O M I N V M**, } Vir, & Homo differre, pauci nesciunt. hic tamen, Hominum, potuit omitti, ut omnissum est loco proxime recitato ex epistola ad Paetum, sed additum est ob interpositam ciuium mentionem. nam, si eset omnislum, ad ciues illa referrentur, Iucundorum, & amantium mei. cum sit aptius, Iucundorum hominum, & amantium mei. **E R A T** nemo, qui cum esset libentius, quam tecum, & pauci, quibuscum aequi libenter; } satis modesta ratio captandae benevolentiae. non enim omnibus Mescinium, sed Mescinio neminem antefert, comparat paucos. ita uitatur illa, quae ueritati fidem detrahit, ὄπειρολόγι. **A L I I** interierint, } insignes quidem, & consulares, M. Calpurnius Bibulus, L. Domitius Ahenobarbus, L. Cornelius Lentulus, P. Lentulus; praeterea, C. Curio tribunicius. **A L I I** absint, } aberant consulares duo, P. Scipio, Pompeij socius, qui bellum in Africa contra Caesarem gerebat; & M. Marcellus, qui post Pharsalicum proelium, cum spe uincendi simul abiecta certandi etiam cupiditate, uoluntarium Rhodi, aut Mitylenis exsulium sibi delegerat. aberat & M. Cato practorius, qui cum Scipione caussam Pompeianam acerrime tuebatur. nec Romae tunc erant M. Brutus, nec Ser. Sulpicius, ille Galliae, hic Gracciae praepositus: ut ep. 6. lib. vi. **M Y T A T I** uoluntate; } non eodem, quo antea, in Ciceronem animo, temporibus mutati, & uictoria Caesaris. **N E C E S S A R I O**; } est enim Caesaris familiaribus inferuendum, temporis causa. **F R E Q U E N T A T** domum meam, } sic lib. 1. Off. Si domus, alio domino, solita est frequentari. Et, Frequentare ludos, lib. 1. de Inuent. Alio modo, Celebratur domus, ep. 5. lib. 2. ad Q. Fratrem. **A D . S V M M V M**, Summum, ep. 1. lib. 2. A te uero bis, terue summum, & eas perbreues, accepi. &, Ad summum, dicitur, Ciceronis exemplo.

PERFVGIO,

**P E R F U G I O,** hoc uerbum interdum solum Cicero afferit, ut hic: interdum coniungit, ut ep. 15. lib. v. Litteris utor assidue: quid enim aliud facere possum? sed nefcio quo modo ipsae illae excludere me a portu, & perfugio uidetur. Et pro Archia: Perfugium, ac solatium aduersis haec studia praebent. Perfugium autem litterae sunt duobus modis: uel quod, eas dum tractamus, molestias obliuiscimur; uel quod animus, praeceps utilissimis conformatus, humana omnia, praeter honestum, contemnit, nihil praeter culpam extimescit. de fructu autem, quem afferunt litterae, uide ep. 3. lib. iv. & ep. 13. lib. v. & ep. 2. & 3. lib. ix. **C O N S C I E N T I A c o n s i l i o r u m m e o r u m .** saepe hanc sententiam usurpat, ep. 3. lib. iv. ep. 1. & 4. & 6. & 10. & 13. & 21. lib. vi. & ep. 3. lib. vii. quae recitare longum est: indicate loca, & quasi digitum ad fontem intendere, unde hauriant qui copiae student, satis duco. **N I S I i n u i d i f i c i t i s,** Pompeium, opinor, designat, a quo se proditum, contra datam fidem, saepe queritur. **M E** enim amabas, mea causa illum non amabas, cuius inuidiam, perfidia mq. nosset. **B E A T V S e s s e t ,** Hoc dicit. Si mecum ad tuendam libertatem consenisset, neque perniciosem reip. cum Caesare societatem coisset: non modo uiueret, sed beatus esset, & cum eo omnes boni. De Caesare autem, & uictoriem, & a quo ueniam paullo ante impetraverat, haec, ut opinor, scribere non auderet. nec inuidit ei Caesar, qui semper popularis fuit, & ab urbe multos annos absfuit, dum in Gallia bellum gereret, sed Pompeius, qui parem sibi Ciceronem in senatu non ferret. **N V L L I V S u i m** ep. 3. lib. v. Notum, inquit, tibi omne consilium meum esse uolui; ut primum scires, me numquam uoluisse plus quemquam posse, quam uniuersam remp. postea autem, quam aliquius culpa tantum ualeret unus, ut obsisti non posset, me uoluisse pacem. **A R M A,** Caesaris. **Q V A E s e m p e r t i m u e r a m ,** ep. 3. ad Att. lib. x. Praeclara, inquit, conscientia sustentor, cum cogito me de rep. aut inertuisse optime, cum potuerim, aut certe numquam, nisi diuine, cogitasse, eaq. ipsa tempeste euersam esse remp. quam ego xiv. annis ante prospexerim. **Q V E M e g o i d e n e f f e c e r a m ,** in consulatu. ep. 9. lib. i. Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, nonnumquam postea interruptus, & afflicitus ante consulem, recreatus abs te totus est, nunc ab ijs, a quibus tuendus fuerat, derelictus. Eodem illud spectat ex ep. 15. lib. i. ad Att. Tueor, ut possim, illam a me conglutinatam concordiam. **Q V A V I S t u t a c o n d i c i o n e ,** quavis, modo tutam. ep. 6. lib. vi. Causa belli orta est: quid ego praetermissti aut monitorum, aut querellarum? cum uel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Et ad Att. ep. 5. lib. vii. Ego is sum, qui, illi concedi, putem utilius esse, quod postulabat, quam signa conferri. sero enim refutimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. Et ad eundem, ep. xi. lib. ix. Prae me tuli, me nihil malle, quam pacem: non quin eadem timerem, quae illi: sed ea bello civili leuiora ducebam. Et ad Pompeium: Mea semper quae fuerit sententia, primum de pace uel iniqua condicione retinenda, deinde de urbe, meminisse te arbitror. **R E R V M A f r i c a n a r u m .** Africani belli, quod inter Caesarem, & Scipionem, ac regem Iubam gestum est. **Q V I D i n t e r s i t , n o n s a n e i n t e l l i g o ;** causam infra exponit: quia non multum inter uictores interfuturum putat. de Pompeianorum crudelitate, si uicissent, uide ep. 9. & 14. lib. iv. & ep. 6. lib. ix. **I N T E R u i c t o r i a s n o n m u l t u m i n t e r f u t u r u m ,** idem ep. 3. & 4. lib. vi. item ep. 9. & 4. lib. iv. & ep. 6. lib. ix. **I N I U R I A M ,** urbe carebat Mescinius, hac illi, ut opinor, a Caesare poena imposta, quia Pompeium initio belli secutus esset. nam, quin hoc tempore fuerit in Italia, dubitandum non est; cum subiungat Cicero: Ad te ueniam breui. Iniuriam igitur, quod urbe immerito careret. Sic ad Caecinam, eadem causa exsulanten, ep. 5. lib. vi. Hacere non potest in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Et ep. 10. lib. vi. Iniuriam temporum. **C V M t u a m s u m m a m h u m a n i t a t e m , t u m e t i a m t u a s l i t t e r a e ,** naturam, & doctrinam laudat: quarum altera efficiat, ut pacatiore animo Mescinius iniuriam ferat; altera, ut humana omnia, cum absit culpa, ne putet in malis esse numeranda. **S I C V T o m n e s f e r e ,** quod reprehendere cooperat, excusat multorum exemplo. nam, Fere, dixit, ne omnino superiorem eius mollitiem excusaret. **V I T A i n g e n u a ,** quam nunc tempora eripiunt. quod enim sentimus, eloqui libere, & ingenue non licet. **B E A T A , & l i b e r a ,** nunc miserrima, & seruiente. **N V L L V M s e n s u m ,** de quo tamen dubitare uisus est in ep. 16. sed orationem tempori accommodat. **S I . M E d i l i g i s ,** dubitatio uidetur, quae nulla tamen est. ualet enim, pro amore in me tuo, pro eo quantum me diligis. & in extrema epistola, Me uelim, inquit, ut facis, diligas. qui locus ex hoc dubitationem tollit. **S E R V I A S ,** & Scriri, & Inscribere, & Indulgere, & Obscuri ualeudini, dicitur. ep. 9. 17. 18. ad Tironem lib. xvi.



IN . EPISTOLARVM  
M . TVLLII . CICERONIS  
QVAE  
FAMILIARES  
VOCANTVR  
LIBRVM . SEXTVM  
AD . TORQVATVM . ET . ALIOS  
PAVLLI . MANVTII  
COMMENTARIUS



Argumentum ep . i . lib . VI .

**A**THENIS exsulanter Torquatum , qui contra Caesarem a Pompeio steterat , renocare studet a sollicitudine ac maerore animi ad tranquillitatem : in quam sententiam colligit haec , quae ad consolandum ualeant : primum , ita perturbata esse omnia , ut sua fortuna contentus nemo uiuat : deinde , condicionem eorum , qui Romae sint , eacernant , quae quotidie fiunt , deteriorem esse , quam eorum , qui absint : quare non esse ei molestferendum , quod urbe careat : quod si suos , suaq. desideret , ne hoc quidem nomine dolendum ; quando illa nullo sint in proprio periculo , nec , ut meliore statu fruantur , ipsum praesentem praestare posse : quod uero ad eius fortunam pertineat , nec desperandum esse , nec timendum aut a Caesare , aut a Pompeianis , si acciderit ut uincant : sin ob commune reip. periculum angatur , solatio esse debere conscientiam optimorum consiliorum : ut uirtus , licet rebus omnibus destituta , se tamen ipsa sustentet : nec uero eum , qui alias olim excitauerit , abiectiore esse animo debere : propter ea , cur non aliquam ab ipsa Athenarum urbe , rationis , ac moderationis parente , atque altrice , doloris medicinam petat ? cur non Ser. Sulpicij , amicissimi ho-